

Ioannis Pecqueti Diepaei Experimenta nova anatomica : quibus incognitum hactenus chyli receptaculum, & ab eo per thoracem in ramos usque subclavios vasa lactea deteguntur ; Eiusdem Dissertatio anatomica de circulatione sanguinis, et chyli motu : accedunt clarissimorum virorum perelegantes ad authorem epistolae.

Contributors

Pecquet, Jean, 1622-1674.

Publication/Creation

Parisiis : Apud Sebastianum Cramoisy ... et Gabrielem Cramoisy ... viâ Iacobaeâ, sub Ciconiis, M. DC. LI. [1651]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/yd83hw8p>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30762704>

IOANNIS
PECQVETI
DIE PÆI
EXPERIMENTA NOVA
ANATOMICA,

QVIBVS INCOGNITVM HACTENVS
Chyli RECEPTACULUM, & ab eo per Thoracem in ramos
usque Subclavios VASA LACTEA deteguntur.

EIVSDEM
DISSERTATIO ANATOMICA
DE CIRCULATIONE SANGVINIS,
ET CHYLI MOTU.

*Accedunt Clarissimorum Virorum perelegantes ad
Authorem Epistolæ.*



PARISIIS,
Apud { SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis &} viâ Ia-
Reginæ Regentis Architypographum, cobrâ,
ET sub Ci-
GABRIELEM CRAMOISY. coniis.

ГАРІЕЛІМ СУМОІІ
ТА

ILLVSTRISSIMO AC
REVERENDISSIMO D. D.
FRANCISCO
FOVQVET
EPISCOPO ET COMITI
AGATHENSI,
REGI CHRISTIANISSIMO
A CONSILIIS.



Vod tuo se ficit (PRÆSVL
ILLVSTRISSIME) Liber
parvulus conspectui; quòd pre-
tiosa tuarum solicitudinum
momenta intempestivus in-
terturbat; non irrequiet & sapientia iactantia,
non quaestuosa spes, non, quod multos tenet,
insanabile scribendi Cacoëthes, hanc alioquin
ex conscientia humilitate timido fecit audaciam.
Ingenua, quam præfert, simplicitas candi-

EPISTOLA.

diori oculo Virtutem spectat, & sinceriori collit obsequio. Eum ipsa tuis pedibus advolvit, non quidem ut suscipias, aut inter familiares tuos honoram quieturo tribuas sedem; sed ut benignitatis tuae veniam liccat sibi viam tandem capessere. Tui prorsus juris est, domi tuae natus, ubi & adolevit: nec proinde fas servulo inconcessos transflire limites, aut inconsulto Domino discedere. Non ignorat fugitiui servitij pœnas; sed nec ad indignationem cum concitare sustinet, cuius beneficio habet, quod vigeat. Horret quisquis bonus est ingratia & vitium & nomen. Quæ detexit apud te Libellus miracula nequit absque inuidia, criminéque suppressere. Tanti interest omnium hominum ut ea vulgentur, quanto Sanitas, in cuius gratiam exhibet inaudita, ceteris humanae vita bonis precellit. Erravisse hactenus omnium retro saeculorum etiam praefantioris nota Anatomicos ostendit; & eos qui Physicam professi sunt, uno excepto Aristotele, in Animantium Naturam, non leviter hominum discrimine, cœcutiisse ut plurimum. Quod dum apud se Libellus pensaret, has ita dubitabundus, & emicantes ad cursum

EPISTOLA.

impetus malto tempore compescuit. Nam, quorsum (inquietat) unus ipse pumilioque adversus tot annorum Gygantas tentem insurgere? an spes forsitan futuros dociles, qui errores suos Oraculis propemodum anteponunt; qui Pythagoraeorum more obnoxiam fidem ad Magistrorum subjugant nutus; qui denique longam annorum seriem adversus oppositas suis sententias rati præscribere, aut ridebunt Inventa nostra, aut, ne videantur allucinari potuisse, à somnijs obstinatè respuent vindicari? *Enim* verò tot ipsum discriminum terrores etiamnum interministerij munia coercitum continerent, & securus silentio cogrent periculosam premere facundiam, nisi Veritas in generoso pectore omni labore potior, suggestisset jam sponte incenso exemplum & ardorem Menacei; quantoque sit gloria suavior, si quis propter hominum salutem perire non renuat, quam si fugiat Ulyssis instar, illecebrósā ignauæ quietis dulcedine, qua posuit, ab eorum capitibus mala propellere. Veruntamen etsi parvulus, etsi solus tot & tantos audeat provocare, non est quòd venientium incursus vehementer debeat expa-

EPISTOLA.

vescere. Stratii sunt hostes, si pugna testes judicésque fieri suos met oculos, & tam suis habere fidem non recusent. Nam ejus natura Libellus est, ut multa sensibus deferat, paucaratiocinio, imò vix huic tribuat quidquam nisi sensuum fuerit stabilitum suffragio. Hinc & nomen sortitus est, ratus ab eâ desumendum, qua rerum Magistra præcipitis mentis corrigit defectus. Sed dum immoror in Libelli commendatione invocant interim languidi opem tuam, anxiéque lentum expectant salvularis Aquæ motum. Parcat tua Benignitas tot miserorum votis periculosâ manumissionis, quam is supplex efflagitat, dilatatione obſistere; ut, quem huc usque Hominem non habuerunt, in te commodum invenisse se gaudeant, & tuis muneribus sanior uniuersus Orbis gratuletur, & ipse deinceps in obsequium tuum alacrius studeam proruere.

Lutetiæ Parisiorum Kalendis Ianuarij
Anno D. M. DC. L I.

Deditissimus tibi, & addictissimus
IOANNES PECQVET.



INDEX CAPITVM

TOTIVS OPVSCVL.

EXPERIMENTORVM NOVORVM

ANATOMICORVM.

CAP. I.  Actearum in Mesenterio Venarum & Detector Asellius, &cæteri deinceps Anatomici concursum ignorarunt. Chyli RECEPTACULVM supra Lumbos, & ab eodem semita non ad Hepar, sed ad verum aīgatōeūs principium COR, indicatur. pag. I

CAP. II. Chylus in Cordis & Cauæ repertus confinio, à ramis Subclavijs eò confluere deprehenditur; & ejusdem sub Axillarium Iugulariūmque concursus, fit palam scaturigo. 4

CAP. III. Detectum intra Thoracem Lactearum bivium, ad quartam dorsi Vertebram, à Chylosā Subclaviorum evolvitur scaturigine, ultra quam nullus Lactearum surculus ad superiora porrigitur.

CAP. IV. A quartâ Dorsi Vertebrâ, Lactearum bivium, ad Diaphragmatis Centrum expeditur. 10 7

INDEX

CAP. Ignōtūm hactenūs Chyli RECEPTACVLVM
v. inquiritur. Chylum in Iecur non tendere, nec
Lacteas, demonstratur. Sub Mesenterij Cen-
tro detegitur Chyli RECEPTACVLVM;
hoc abs confluentibus Asellijs Lacteis Chy-
lum excipit. Asellianum Pancreas, nec sem-
per in omnibus, nec idem, nec unicum. Non
desunt suæ Lacteis per Thoracem Valvulae. 12

CAP. Non Canis solus, sed et domestica saltem
VI. Animalia Lacteas habent et RECEPTA-
CVLVM; nec deesse hominibus ostenditur.
Adducuntur in hujusc libelli Veritatem,
gravissimorum Virorum testimonia. 17

FIGVRARVM EXPOSITIO.

PRIMA. Exhibit Vasa Lactea intra Thoracem in-
venta una cum Chyli RECEPTACVLO;
seorsim à dissecto Animali. 20

SECVNDA. Canem apertum ostendit cum Vasis supe-
riori figurâ expositis, prout sunt in Animante,
suo, quodque loco disposita. ibid.

DISSERTATIONIS ANATOMICÆ, DE CIRCULATIONE SANGVINIS ET CHYLI MOTU.

SVMMA. Sanguinismotus Circularis per totum Ani-
malis corpus demonstratur. Ejusdem motus Causa
indicatur. ATTRACTIIONIS opinio Hydru-
licis

CAPITVM.

licis explodit tur Machinis. Chyli ab Intestinis in
Lacteas ostenditur expressio , & TRANS CO-
LAT O R I V M Iecinoris munus astrictur. 25

CAP. I. **M**otus Sanguinis à Corde per Arterias
ad extrema , & ab extremis per Ve-
nas in Cor; Experimentis demonstratur. 27

CAP. II. Vena Porta exceptum ex Arteria Cæliacā
Sanguinem per Iecur in Cavam effundit, &
hinc Harveij sententia confirmatur. 30

CAP. III. E dextro Cordis Ventriculo Sanguis per Pul-
mones in Sinistrum fluit. 33

CAP. IV. Sanguinis in Fætu Circulatio. 35

CAP. V. Arteriosum Sanguinem partim per Synana-
stomoseis in Venas elutriari; partim per Ana-
stomoseis extravasatum in Venas demum re-
fugere. 38

Vbi &

O BIECTIONES aduersus extravasa-
tionem Sanguinis dissolvuntur. 40

CAP. VI. Sanguinei motū principium inquiritur. Inna-
rum Sanguini pondus , licet Arteriæ cum Ve-
nis Siphonem agerent , ejus Circulationi pro-
batur non sufficere. 42

CAP. VII. Circulari Sanguinis motui sola Systoles Impul-
sio non sufficit. In Diastole ATTRACTIO
nulla. 46

Vbi & allatae in hujus opem Machinæ

INDEX

proponuntur diruendæ.

CAP. Esse non PONDVS tantum, sed & rarefa-
viii. ctiorum Aëri ELATEREM Experimentis
demonstratur. 48

EXPERIMENTA
PHYSICO-MATHEMATICA
DE VACVO.

i. **V**Acuata Carpionis vesicula sponte ad Hy-
drargyri lapsus, intra sublimem tubi am-
pullam rarescens, Rarefactorium Aëris in-
dicat ELATEREM. 50

ii. Compactiores esse gradatim subjectas incumber-
tibus Aëris partes, diversus Hydrargyri la-
psus, pro diversâ montis altitudine probat. 54

iii. Exterioris Aëris cum interiori Hydrargyri
Cylindro aequipondium ostenditur. 56

iv. Aqua solo pondere Terraqueum Orbem compri-
mit: Aér non pondere tantum, sed etiam
Elatere. 59

CAP. Intensæ in ATTRACTIONIS subsidium
ix. Machinæ diruuntur. 61

Non Vacui metu sed aequipondij necessitate
in Machinas Hydraulicas Aquam intrudi,
terminatus in ijsdem Aquæ ascensus & Expe-
rimenta planum faciunt. Vbi de Antlijs. ib.
Folles non aspirant Aërem sed extrinsecus in-

C A P I T U M.

- trusum excipiunt. 65
- Aëriæ dilatationis robur à proprio languet
Elatere, ab externâ Causâ firmatur. 66
- Aëris non tantum, sed & Aquæ molem accessu
Caloris extendi, Thermometrum ostendit. ib.
- Quomodo in Cucurbitulam Caro & Sanguis
intrudantur. 68
- Quomodo in Æolipilam calefactam Aqua im-
pellatur. 69
- Alij Aëris ex Æolipilâ eliciendi proponuntur
& explicantur modi. 70
- CAP. Veræ Sanguinei motûs Causæ aperiuntur.
x. Vbi. 72
- De Spontaneâ Vasorum Contractione. ibid.
- De Violentâ Vasorum Contractione. 73
- De Vasorum Compressione. 74
- CAP. DE CHYLI MOTU. Vbi.
- xii. Etiam in Lacteas Chylum intrudi, pellique
versum Cor, non exugi ostenditur. 75
- Quod Chylus non trahatur. 76
- De Intestinorum Contractione. ibid.
- De Intestinorum Compressione. 78
- DE RESPIRATIONE.
- Qui fiat Respiratio, & quid ad Chyli motum
conferat exponitur, Pulmonum non esse
perviam tunicam Experimentis innotescit. 79
- De motu Diaphragmatis. 81

C A P I T V M.

Adversus Respirationem dissoluntur Obiectiones. 82

C A P. *De Transcolatorio Iecinoris usu. Vbi de colixii. & colatorum corporum figuris.* 86


Sequuntur Eruditorum Virorum Iacobi Mentelij, Petri de Mercenne, & Adriani Auzotij Epistolæ.

Summa Priuilegij Regis Christianissimi.



Autum est auctoritate Regis , ne quis in Regno suo , alijſve locis suæ ditioni subiectis intra decem annos proximos , Librum , qui sic inscribitur *Ioannis Pecqueti Diepæi Experimenta Noua Anatomica , &c.* absque SEBASTIANI CRAMOISY Architypographi Regis Reginæ Regentis permisſu , imprimat , aut diuentat , à die publicationis horum exemplariorum . Qui secūs fecerit , mulcta indicta , prout amplius in diplomate regio continetur , coercedetur . Datum Parisijs die 17. Martij 1651. Sic signatum de mandato Regis ,
CRAMOISY.

IOAN.



IOAN.
PECQVETI
DIEPÆI
EXPERIMENTA NOVA
ANATOMICA.

CAPVT I.

Lactearum in Mesenterio Venarum & detector Asellius, & cæteri deinceps Anatomici concursum ignorarunt. Chyli RECEPTACVLVM Supra Lumbos, & ab eodem semita non ad Hepar, sed ad verum aīματώσως principium COR, indicatur.



A C T E A R V M in Anatomicâ Republicâ Venarum Auctarium inventum est Asellij, non commentum: sed quòd & aīματώσως cum antiquis putat esse principium Hepar, & ad ipsum Lacteas confluere, eiusdem (ô Lector, siquidem vales oculorum obsequio) est erratum. Absit tamen

A

infamam pejus quidquam statuas tanti Viri; Non ei parum debes qui primus incognita Chyli diverticula scrutatus est, & cuius proinde beneficio potes non caligare. Aperuit Asellius, sufficit. Non est spernendum indicium, ut ut sit exiguum. Detegunt obfessi hostilium cuniculorum insidias ex levissimo tympani repercuſſu; & ex umbris hauriunt Astrorum inspectores miracula.

Causa quidem errandi (nisi me forsitan & aliis error circumagit) hæc fuit Asellio, quod cum intra glandulam, in medio sitam Mesenterio (Pancreas Vocat) in unum omnes coire Laetearum, indeque tum sursum porrigi, tum deorsum animadverteret, pro certo habuit, quos geminos, & interdum fruticosos numerosiori surculo ramos, confundi uspiam planè non videbat, ad ipsam usque lecinoris fissuram ascendere.

Nec ab eo (quod sciam) tempore, quisquam eorum aliter, quotquot in Anatomico Theatro, etiam cum animantibus vivis frequentius & majori cum laude digladiati sunt, Laetearum (quos & ipsi deprehendebant) Venarum ejusmodi latices studuit devolvere.

Et verò doctissimus Walleus in suis ad Th. Bartoliniū epistolis *Per has*, inquit, *Venas Laetearum Chylus sursum vergit: quo id modo, res non satis expedita est. Id nobis videtur maximè verosimile, quod in magnis macilentiisque Canibus venaticis animadversimus, Venarum Laetearum quasdam ab Intestinis uno & continuato ductu in Ramum Mesentericum, quasdam in ipsam Portæ Venam, in cava Hepatis quasdam, paucissimas quandoque in Venam Cavam prope Emulgentes desinere.*

Ita sentiunt non vulgaris peritiæ Medici Harveyus.

Veslingius, Conringius, Bartolinus, alijque complures; nec melius ipse Ioannes Riolanus (quod mirari subit pro eximiâ viri, quâ in rebus Anatomicis cæteros anteivit sagacitate) Audi hanc in rem illius sententiam Encheir. c. 18. *Hoc unum, inquit, multos auxios tenet distributionis diversitas; nam in Animali vivente saturo & aperto notantur quidem istæ Vene Lactæ sparsæ per Mesenterium: sed aliae ad Pancreas progressiuntur, aliae ad Hepar, aliæ ad truncum Cavæ derivantur, nullæ ad Lienem, nec more Venarum Portæ in unum caudicem coèunt.*

Ego, pace tantorum virorum, dixerim ipsorum neminem peculiari scrutinio Lactearum, intra Thoracem Venarum latebras tentavisse. Eorum tamen tribuendum arbitrer infelicitati potius, quâm incuriæ quòd ignoraverint, non ad Hepar, non ad Venas Portæ, non ad Cavam prope Emulgentes, ut receptus error obtinuit, derivari Chylum; sed quod inter dissecandum potest cuilibet luce clariùs innotescere, ab Intestinis ad RECEPΤACVLVM quoddam, amplitudinis, quæ $\varphi\omega\nu$, saltem in Brutis, compleat intercapidinem.

Illud autem supra Lumborum Vertebras, disseminatarum in Mesenterio Lactearum liquorem excipit, refunditque per eas, quæ intra Thoracem abditæ, ad ramos usque Subclavios ductu continuo propagantur, donec intra Venæ Cavæ caudicem ascendentem circa Iugulares (externas intelligo) mixtus cum Sanguine, communium demum alveo, in Cordis voraginem muricandus, & in alimentarem concoquendus substantiam præcipitet; sicut evincatur nobili testimonio, quâm appositi Peripateticorum Princeps & Venarum asserat Cor esse principium, & Sanguinis officinam.

CAPUT II.

*Chylus in Cordis & Cavæ repertus confinio, à ramis
Subclavijs eò confluere deprehenditur; & ejusdem
sub Axillarium Jugulariumque concursu, fit
palam Scaturigo.*



Aetearum scatebras & meæ Expositionis originem cave putas (ô Lector) debere te mihi. Munus est fortunæ cum inscio ludentis. Bona verba , & quæ Christianum deceant , Providentiæ , quæ DEVS est , imprudenti revelantis beneficium eximum. Atqui ne quo intermittatur arrogatu retributionis commercium , placet in fortis laudem Zelotæ , totam meæ felicitatis Historiam (siquidem æquè tibi audire dulce , ac enarrare mihi) propalam exponere.

Post acquisitam ante annos aliquot , ex cadaverum sectione , mutam alioqui frigidamque sapientiam ; placuit & ex vigenti vivarum Animantium harmoniâ veram scientiam exprimere. Et quia hæ ab illis solo propemodum differunt motu , cuius in Corde præcipua sedes ; consilium fuit eundem , expedito involucris , avulsoque Corde , manifestius contemplari.

Ergo diffissâ viuentis , quæ media est , alvo Molosi , inchoo extispicum. Nec mora ; Cor , rescissis , quibus reliquo adhæret corpori Vasculorum retinaculis , avello ; tum exhaustâ , quæ statim restagnaverat , spectantisque confuderat obtutus , copiâ cruxoris , albi-

cantem subinde Laetei liquoris, nec certè parum fluidi Scaturiginem, intra Venæ Cauæ fistulam, circa dextri sedem Ventriculi, miror effluere.

Superstitis Sanguinis residuæ guttulæ colorem infecerant, sic ut delitescentis intra Thoracem fortè saniem abscessus ex cruenti puris imagine, suspicarer. At cum avulsum penitus à sede Cor, inque mensam projectum, nonaginta ferme Systolas æquabili vehementiā compressisset, totidemque explicuisset Diastolas, & supremos tum demum efflavisset aliquantâ palpitatione spiritus, prioris cogitationis puduit, nec ultrâ tantum morbum credidi tanto vigori contermi-
num.

Perfectâ igitur Haruspiciñā, laudatissque omnibus, quas Thorax complectitur & sanissimas exhibebat, partibus, Venam Cavam à Diaphragmate ad jugulum aperio. Apparuit illico dubitati liquoris, omni tum crux expurgatum mixturâ fluentulum.

A ramis usque Subclavijs ad Pericardium intra Venam subsidebat candidus apprimè liquor, & effuso per Mesenterium Chylo simillimus, sic ut inter utrumque collatos invicem & nitor & odor & sapor & consistentia nullum inesse discrimen ostenderint.

Extinctus Animalis exenterati motus stiterat flourem; nec, quæ niveus latex erupisset, aut quo scaturijsset ab ubere, sinebat quies internoscere: Tamen gliscecente reconditionis doctrinæ desiderio, Thymum comprimo, Collum stringo, ipsos etiam anteriorum partium Artus, si quæ fortè albicantis substantiæ residuum ex vasculosis stillaret anfractibus, sollicito: sed inde Sanguinis tantum effluxerunt aliquot guttulæ,

nihil Lacteum in Cavam irrupit.

Ergo (quod unicum industriae meæ superfuit) Mesenterij Lacteas, quid hanc sibi juris in rem obtinerent pondere digitii grauitantis adigo commonstrare. Parent urgenti; nam è ramis Subclavijs tanta succi, quem observabam, copia profunditur, ut & ejusdem esse Lacteas originem agnoverim, & à Chylo diversum putare duxerim insanissimum.

Ne tamen quid inexploratum relinquatur; cum è superioribus ramorum ejusmodi partibus præceps rueret, has in longum unà cum cæteris Colli & Artuum anteriorum Venis diffindo; compressâque mox Alvi, quæ turget inferiùs, capacitate; & exerto in apertos iuxta Claviculas alveos obtutu, ecce completorio mei voti exitu, indubitatò jam tum in superiores ramorum subclaviorum partes utrinque Chylus redundavit.

Ex βολḡ̄s noto pronas oculis, & spectantibus manifestas scaturigines; foraminula scilicet, paulò infra Iugulares Venas, & Axillarium Cataractas, numerosis ostiolis hiscentia. Sed & Iugularium illic Valvulas obseruo ruituro in Cordis gurgitem Chylo faciles accessu penitus interdicere.

Verūm, quâ tandem viâ, quibus meatibus, eò Chylus, devolveretur, non licuit ob exhaustum Animæ jamdudum mactati Mesenterium, evanescentibus planè cum expressi liquoris effluxu Lacteis, demonstrare.

CAPUT III.

Detectum intra Thoracem Lactearum bivium, ad quartam dorsi Vertebram, à Chylosâ Subclaviorum evolvitur scaturigine, ultra quam nullus Lactearum surculus ad superiora porrigitur.



V F F E C I S S E M illicò in demortui locum quem mihi tum ex improviso fors Canem obtulerat, nisi exhaustas ex longâ inediâ Lacteas macies portendisset. Iejunum igitur parabam confarciere; cùm arbitrio Virorum, quos rei novitas ad spectaculum exciverat, impastum Animal eviscero.

Manifestum fuit, quod intempestivè urgentibus significaveram; exinanitus nempe tam miscrè cum Intestinis erat Ventriculus, ut nec Lactearum usquam ulla vestigia, ne in Mesenterio quidem, superfuerint cuiusquam spectantium oculis sentienda.

Reclamavit exemplò irrequietæ censuræ superciliosa austeras, atque non apparentibus fidei denegavit substantiam. Ego cum viderem plures, ne uniuersos dicam, contemptu assensum gesticulante, quidquid argumentarer mihi concedere, Bene est (inquam apud me) oculis tandem didicistis uti: at quorum oculorum fastidiosos nictus facili subivi obsequio, exundem, æquum est, intenso deinceps intuitu, uelut inclutabili flagello iteranti Extispici detis pænas.

Prædixeram certè, accelerantibus temerè immatu-

ram dissectionem, exilissimos esse Lactearum canaliculos, solâ succi, quem devchunt, candicantiâ notabiles, & qui, sive sequatur exugentem Cordis Diastolen, sive, quod verosimilius, proruat impellentis causæ cujuspiam inferiùs disquirendæ incitabulo, raram in transitu moram facturus est. Frustra alvei habebitur ratio deficiente fontis plenitudine. Nec Chylus procreatur jejuno, ut nec sumptus cibus, statim in alimentarem substantiam dissolvitur.

Ergo illaqueatum Canem diætæ meæ neminis tum prohibitu præpeditus subigo: & cum jejunij moras largissimâ dape compensasse, demum horâ circiter à saturitate quartâ Extorum accingimur examini.

Summa consilij fuit, non Lacteos obseruare, quos infinitis circumquaque videbam euripis per Mesenterium dissilientes, rivulos: sed toto studio in Thoracem incumbere.

Cor illic intactum suas Systolas explicabat; cætera vitæ quæ Cordi vicina sunt instrumenta, suo quodque munere fungebantur. Necdum ulli vim ratus inferendam, elatum firmâ ministri manu Pulmonem à dextro latere versus sinistri cavum reflecto, totius dorsi penetralia lustraturus.

Observo surculos Cavæ; omnes livebant; nullus ascendentium Arteriarum ramus ad Lactea foramina, quæ recens inveneram, emicabat. Sexti paris sequor propagines, quarum hæ Diaphragmatis obice sistebantur, illas imus Venter absorbebat. Tandem exerto in suprema Vertebrarum Dorsi latera contuitu, nescio quid albedinis, instar Chylosi canaliculi, oculos meos moratur. Sinuoso aliquantis per & ad spinam impacto serpebat volumine: dubium an ex similitudine

similitudine Nervus, an foret vasculum quale solicitus vestigabam. Ergo subducto paulò infra Claviculas vinculo, cùm à ligaturâ sursum flaccesceret, superstite deorsum turgentis alveoli tumore, dubium meum penitus enervavit.

Sed quia malum ex minimo defectu; nec dum ausus ex oculis, tam evidenter licet argumenti testibus, peremptoriam ferre sententiam; sinistrum latus interrogo; etiam illic germanus dextero latex oberrabat, qui conjectus similiter in vincula, compari exitu canalem se esse confessus est. Conspicua igitur per medium Vascula Pleuram à socijs festino Thoracis partibus levi scalpello dispescere. Inundavit opus cruentâ eruptione intacti Cordis inexhausta vicinia: sed mox avulsum Cor & inturbato pñnas labori dedit, & producendo abstulit obstaculum.

Post abstersum cruentem, ab utroque tandem ligamine canales Lacteos ad Iugulum Pleuræ semotu detego. A tertiâ Dorsi Vertebrâ, ubi deseruerant sustentantis Spinæ commercium, Oesophago, cui oblique subrepebant, adhaerentes, ad ipsas hinc & inde Claviculas procedebant: Thymo firmiter innixi quadripartito, Væ etiam numerosiori alveolo Subclavias attingebant Venas; has aëtutum diffissas avidissimis oculis attendo; ecce per reperta denuò circa Iugulares foraminula, laxatis vinculis Lacteus utrinque rivulus in Cavam affatim Chylum profudit.

Ac tum in miraculum resipiente spectatorum contemptu, num Chyli ductus quispiam aut ad Caput exiliret, aut ad Artus derivaretur anteriores, eorumdem incumbit scrutandum hortamine. Sed cùm amputatum Caput, truncatosque Artus nihil Lactis, ne

compressu quidem inferioris Alvi sequeretur; ex illâ, quæ se receperat intra Cavam Chylosæ substantiæ copiâ, argumentor neque ad Caput, neque ad anteriores Artus divertere Chylum, sed totum in ramos Subclavios confluere.

CAPVT IV.

A quartâ Dorsi Vertebrâ, Lactearum bivium ad Diaphragmatis Centrum expeditur.



L I S C I T Spes fortunatis eventibus & prospero labore tedium condonatur. Detectum ostium ad investigationem demeaculi fecit audacem. Redeo ad Vincula, constrictisque iuxta prominentia tertiae Dorsi Vertebræ latera, turgidulas deorsum jam certus Laetearas sequor.

Ad quartam circiter, quę Cordis est sedes Vertebram sub Gulâ recondebantur; hanc igitur Gulam, coercitam prius ligamine cum totâ partium vitalium sarcinâ, factâ propè Claviculas amputatione, expectoravi; etiam Aorta, cui non offecturam ratus perciceram, obstaculi nomine collucatis molliter & abscessis, qui Costas interfluunt, ramis, iussa est è Pectoris specu facessere: ac tum deglutinatis superstitem involucrorum impedimentis, licuit in propatulo Laetorum Laticum decursus, oculis jam nihil addubitantibus, pertotius Spinæ supremum aggerem prospicere.

Quarta Vertebra coëuntes sustentabat , reliquum ad decimam spatium bifidos & anfractibus disjunctos fluvialium more tortuosis. Pari tumore disfluebant transversis non raro incilibus, velut ad opein mutuam obliquè colligati. Confuso demum vado, rufusque distracto flumine, in ampullatos Alveos sensim excentes ad Diaphragmatis Centrum intumuerant; non leve vicinorum , unde per Thoracem in Subclavias Venas immittitur Chylus, fontium argumentum.

Ergo, cum & ipsum Diaphragma (ut extremo, quod sperabam , desineret obesse scrutinio) satagerem à Lacteis vasis sejungere, laceratâ fortè sinistrorsum ad duodecimam circiter Dorsi Vertebram ampullâ, cuius est apprimè tenuis membranula , restagnantem demiratus Lactis effusi copiam , suspicor non exiguum illic eiusdem liquoris occuli R E C E P T A C V - L V M : Sed manus imprudentia stitit laborem, & reliquum ad resegmina Cadaver amandavit ; nam effluxus Chyli Lacteas penitus exhausit , & superstes evanidi tumoris , quâ quidem in ampullam visus fuerat excrescere, pellicula, felicem (utre, quod aiunt, cæso) exitum spondere non debuit ulterius processu.

CAPVT V.

Ignorunt hactenus Chyli RECEPΤACVLVM inquiritur. Chylum in Iecur non tendere, nec Læteas, demonstratur. Sub Mesenterij Centro detegitur Chyli RECEPΤACVLUM; hoc abs confluentibus Asellij Læteis Chylum excipit. Asellianum Pancreas, nec semper in omnibus, nec idem, nec unicum. Non desunt suæ Læteis per Thoracem Valvulæ.



OMMODOV M ad cibum Canis, quem pransum opiparè post horas aliquot in Anatomicum edo Theatrum. Prima digladiatio solum Thoracem aperuit. Nec mora, præpeditis utrinque Lætearum infra Claviculas ostijs, Chylo effugium præverto ligamine. Revulsa partium obstitutarum remora expeditionem accelerat; & in laxamentum inferioris Alvi, Thoracis caveam angustantis, continuatum per Abdomen vulnus liberam Pectoris specum exposuit.

Non diu vacavit haud multùm prioribus absimiles sororiantium Lætearum rivulos contemplari. Vrgebat memorem sensim in fidem adolescens suspicio RECEPΤACVL I, cuius latebram Transversum ultra Septum sub Mesenterij Centro celari, omnia portentabant. Nec dubitassem obstantium viscerum excidio aditum referare, nisi vetus circa αιγάτων error

jam ultimum solicitasset mentem meam, etiamnum
ægrè tam creditis decedentem.

Hactenus à Mesenterio Chylum in Hepatis Parenchyma Opinio protrusit, non Veritas, & Sanguinei artificij tribuit immeritam nato ad alia visceri prærogativam. Libuit singulatim universos ad Ipsum tendentes ramos exactâ rimari diligentia; num per eorum quospiam Chylus cò conflueret. Lacteos Mesenterij rivulos quaquaversum exploravi, nullus ad Iecur porrigi inventus est; Portam diffidi; Splenicum aperui meatum; nec ipsi Mesenterico pepercí, nisi quantum distentus candidantium tunc per Mesenterium Venarum Laetearum tumor, quem illibatum anxius evanidi Chyli metus in RECEPTACULI memoriam conservabat, visus est concedere; Cavam non quâ subit Emulgentes tantum, sed à ramis Iliacis ad usque Diaphragmatis reseraui Centrum; At omni ex parte nihil nisi crux effusus est, nulla Chyli scatrigo malè creditam viam dealbavit.

Nec (ô Lector) meis, quos in tanti ponderis argumento exertissimos defigebam, oculis confidito; sunt & testes non mei magis, quâm veritatis amici, qui spectabant, & quorum mihi non tam speranda venia, quâm metuendus hallucinato cachinnus. Ipse, ut irritavi pridem, & ad laudabile facinus provocavi animum tuum, aude & in arenam descendere. Ignavus est, cuius, laboris formidine, tota in auribus fides; nec profectò quis sapere dignus, dum errorem sectatur, quem possit cluere.

Tantis testimoniis enucleatâ veritate non ad Hepar videlicet Chylum, non ad Venas Portæ, non ad Cavam propè Emulgentes derivari; lustrata viscera quæ-

rendus alibi Chylus, extra inferioris Alvi caveam eliminanda præcepit. Laetearum ubertas inciduum servavit Mesenterium; turgidas injectis ad illius basim vinculis vete detumescere. Tum frustatim ad cauteriam, revulso Diaphragmate, licuit residuum, qui sub eius Apophysibus delitescebat, Aortæ truncum, & nostras in proptulo Lacteas contueri.

Hæ sinistrorsum pariter sub Aortâ quâ Phrenicas dimittit Arterias, ampullescentem alveum explicabant; inferiùs utrinque denuò coëuntes, in turgidum Chyli Stagnum videbantur excrescere. Ac tum, oculis suas tactui vices concedentibus, indicis pressurâ tentito liquoris inclusi circumquaque suffugium. Illic, res mira! gravitanti digito facile stratum seipsum ultra complanabat, argente subsultim mollitie delitescentem sub Mesenterico Centro, non exiguae capacitatis Chyli Vesicam. Demùm celantia, parcente scalpello, dissipo involucra; non facto quidem ab Aortâ divortio; hujus velut in fidem recepta, sub Cæliacæ trunco atque Emulgentium emissarijs eiusmodi vesica, nec latebat penitus, nec penitus nudabatur. Sie tandem patuit optatissimum reconditi Chyli Penus, & tantis laboribus quæsitum R E C E P T A C V L V M.

Hoc deorsum à Diaphragmate supra prominentes in infimo Ventre Spinæ Vertebras, ad tertiam circiter Lumborum protendebatur, Glandulis hinc inde sub Emulgentibus, seu Capsulis, quas Atrabilarias vocant, inter Renes adhærebat; coercitum subtus, Lumbarium utrinque Musculorum aggeribus, totam in meditullio, (propensiōri quidem in dexteram lacunā) intercapedinem occupabat.

Vnde verò tantus illic alimonij proventus? quibus,

inquam, canalibus in exhauriendum, continuo per Thoracem effluxu, Stagnum, Chylosus se penetrat liquor? Suspecta mihi pridem Mesenterij opera; tumque maximè vicinus in eodem Lactearum tumor exceptum illuc ex Intestinis succum creditus evomuisse. Non sustinuit, quod est inquies semper veritatis crepusculum circumagi me diutius conjecturarum caligine.

Ergo lacinata illico RECEP T A C V L I tunica Chylum effudit; & secutus per eiusdem vulneris rimam, quem turgidis Mesenterij Laetoris relaxato liberaveram ligamine, dubium omne revulsit scaturienti evidentiâ.

Exhaustâ penitus cum Chylo RECEP T A C V L I cognitione, Asellij rursum memor, evoluto Mesenterij meditullio Glandulam, quam inibi maximam scribit, investigo; sed laborem meum prorsus fraudavit absentiâ. Domesticis enim Animantibus ut plurimum Glaudula deest, aut certè in plures distinetè parvulas ad quinarium usque suppartitum (ut ante me Walleus annotauit) videoas detumescere.

Tres exhibuit Animalis, quod lustrabam, Mesenterium, manifesto dissitas interuallo. Emulgentibus adjacebant; unica dexteram, oblongiori paulò figurâ, contingebat, iuxta sinistram reliquæ rotundiori corpusculo Sphærulas magis imitabantur.

Libuit earundem, ut & Aselliani, ubicunque repertum fuerat, Pancreatis usum inquirere. Dum, turgidis Laetoris tumet Mesenterium in Glandularum hujusmodi cavernosos sinus Chyli pars infunditur: argumento sunt non circumfusi duntaxat ijsdem, instar Aranæ Lactearum aliquot canaliculi, sed exundans

etiam, si dispescueris, Chyli profusio. Verū exonerante Laetearum Mesenterio, Chylus ex Glandulis, etiam tum per inferiores, ut pauciores, ita & capacitatis amplioris fistulas in RECEPTACVLVM effunditur à quo refluxum ostiarij Valvularum obices ad Mesenterium (ut & hoc ipsum prorsus sublatum, perseverante RECEPTACVLI tumore, arguit) intercludunt: residuo tantum in Glandulis, superstitis cuiusdam seri humore, quem ex alimento transeunte superfluum, velut in hospitij mercedem, spongiosas duxi Glandulas combibisse.

Litaveram nisi Laetearum exerrans per Thoracis Spinam bivium admirantes oculos albicanti pertinaciter tumore, iterum ad se revocasset. Constrictis vinculo ad tertiam Dorsi Vertebram ostiolis, alveos deorsum distenderant; nec ipsæ tamen, deponentibus per disruptum RECEPTACVLUM Laetream substantiam Mesentericis, visæ sunt tantisper Chylum refundere; aut minus tereti deturgere canaliculo.

Ergo cum prementis indicis incitabulo tumentes retrocitarem, latentes in nodosis numerosè tubulis Valvulae supremum mihi laborem, non ingrato sancte fuit testimonio, irritum perfecerunt.

CAPVT VI.

Non Canis solus, sed et) domestica saltem Animalia Lacteas habent & RECEPTACVLVM; nec deesse Hominibus ostenditur. Adducuntur in hujusc libelli veritatem, gravissimorum virorum testimonia.



T A (mi Lector) habes exactam Laetearum Venarum historiam. Intra triplicis dissectionis spatium, assiduum fermè trium annorum laborem coarctavi; quia tantilli temporis dispendio potes ab erroribus desciscere. Trinum tibi, ut expono Canicidium dabit, quod mihi centenâ plusquam vivarum Animantium exenteratione vix tandem concessum est.

Nec putas solâ me Canini extispicij convictum evidentiâ; hanc & sibi demonstrati Chyli gloriam omnigenum prope vendicat pecus: Boves, Equi, Sues, ut aliarum specierum non pauca supposita quavis ætate secespitam meam cruentarunt.

Diversa tantisper in Ovibus natura ludit: in his non bivium, sed unicus crassiorque canalis à RECEPTACVLO Chylum ad quartam dorsi Vertebram devolvit; indéque bifidus per Subclaviorum (ut in Cane notavimus) ostiola foraminum, eundem in Cavam exonerat. Id ipsum & in alijs interdum Animantibus (rariusculè quidem) observavi: Sed utcunque Chylus studeat compendio, viarūmque multiplicitatē fugiat, ab iisdem tamen RECEPTACVLI carceribus proruens, eandem semper Iugularium metam invadit.

aluv non ibi nullus, neque postea invadit. C.

Homines non dixi quia Thoanteos ritus execrор minoribus sacris innutritus. Brutis minimè pepercit in Hominum usum à Condитore creatis. Sanctius ijs Animal veneratus sum; Ab hoc abstinuit innatæ legis, quam colo, memoria; huius mihi scopus sanitas, non quod est formidolosissimum. Fugienda est Medicina, quam docet crudelitas; & abominanda sapientia, quam parit Homicidium.

Tamen audacter pronuncio etiam Hominibus, quos cādem cum Brutis viscerum sarcinā communis Parens instruxit, non esse Chylosæ substantiæ disparem officinam.

Hoc(ne nostram in portu rideas sententiam, experientiæ defectu, fecisse naufragium) præter diuturnam Lactearum in Humano cadavere moram, ut Amstelodami Tulpius, Veslingius Patavij, Venetijsque Folius observarunt; probat eximum Celebrissimi Gassendi testimonium, dum in furciferi paulo post supplicium aperti Mesenterio, Venas Lacte turgidas illustrem Peireschium asserit spectavisse. Hujus dum scriptis vitam commendat, sic eloquitur, *Quamobrem damnatum suspendio procurauit primum Peireschius, antequām judicium capitale pronuntiaretur securè & egregiè pasci, ut nempe esset unde Chylus Lactesceret, quo tempore requireretur; ac inde non nisi horā cum semisse post suspendium expectatā Cadaver devehi curavit in Anatomicum Theatrum; præstitum est verò eā diligentia, ut aper-to Abdomine Vena Albescentes apparuerint, utque ex nonnullis resectis colligi potuerit liquor Lacteus; quod profectò visum est mirum. Huic & interfuit Gassendus spectaculo, quod ipse pridem mihi, dum Parisijs degeret, viva voce confirmavit.*

Et quia bonum non est quod diffundi non vult;

plures accersivi, non quidem ex gregalium fæce promiscuos homines; sed oculatos admodum, & in rebus Anatomicis eruditos viros: ut, non tam meæ testes sapientiæ, quàm felicitatis participes, te saltem ad audiendum suâ valeant auctoritate compellere.

Placet & selectis aliquot eorum Nominibus obstinatum (si ultra tibi) animum obtruere. In ore duorum vel trium, inquiunt Oracula, stabit omne verbum; plures citabo. Ac in primis quidem Iacobum Mentellum, virum Patricium & in almâ Parisiensis Medicinæ Scholâ lectissimum Professorem, dignissimumque ejus Pronepotem cui Typographiæ Inventionem debet Orbis. Petrum deinde Mersennum in eâdem facultate Doctorem sapientissimum. Adrianum Au-zotium Rothomagensem addam, virum omni litterarum genere ornatissimum, cuius ope, consilio, & intimâ familiaritate mihi non pauca patuerunt. Ludovicum denique Gayanum, insignis notæ Chirurgum, cuius eximiam admiratus, dum in publicis Medicorum Lutetiæ Scholis dissecaret, Mentello nobili differente, peritiam, optavi aut meorum damnatorem errorum, aut manifestatæ mihi tam crebro experimento, veritatis assertorem. Nec præterivissem, ni festina mors invidisset, Iacobum Duvallium in eâdem Parisiensium Medicorum facultate Doctorem solertissimum, quem ingenua fides detectæ fecit dudum præconem veritatis, ut in eandem amor Experimentis meis dederat diligentissimum spectatorem.

In hos plura non eloquar, ne lâdam inconditâ sermonis barbarie tam prestantes homines. Subjungarem & alios; sed testium suspecta fides ubi pauci, tantique non sufficiunt, nec iniuitate vacaverit judicantis animus, si, ultra legalem, numerum augeri vult.

EXPOSITIO PRIMÆ FIGVRÆ.

Hæc figura exhibet vasa Lactea intra Thoracem inventa, unà cum Chyli RECEPTACULO, scorsim à dissecto Animali.


- A. Truncus ascendentis Cavæ sursum in longum apertus.
- BB. Iugularium Axillariumque Venarum concursus, ubi Chyli Scaturigines intra Cavam, seu Lactearum ostiola punctis designantur.
- CC. Iugularium Valvulae influenti in Cavam Chylo ascensu interdicentes.
- DD. Lacteorum Vasorum ad Scaturigines distributio.
- EE. Diversi, pro naturæ ludentis arbitrio, vasorum Lacteorum concursus.
- F. Ampulla, quæ intra Thoracem, juxta illæsum Diaphragma sinistrorum sèpiùs apparuit.
- G. Alveus dextrorsum ad Diaphragma excrescens.
- HH. Residua Diaphragmatis portio.
- I. Chyli RECEPTACULUM.
- LLL. Mesentericarum Lactearum trunci; horum juxta RECEPTACULUM amplior tunica valvulas illic delitescentes in refluxuri Chyli interdictum significat.
- mmmm. Varie intra Thoracem valvulae Chylo concedentes ad Cavam transitum, refugium ad RECEPTACULUM prohibentes.

EXPOSITIO SECUNDÆ FIGVRÆ.

Hæc figura Canem apertum ostendit cum vasis superiori figurâ expositis prout sunt in Animante, suo quodque loco disposita.


1. Ascendentis Cavæ truncus.
2. superstitis Aortæ inter Renes Chyli RECEPTACULO adhærentis portio.
- 3, 3. Renes.
- 4, 4. Dissectum Diaphragma.
- 5, 5. Véci seu Lumbares musculi.

Premiere Figure .



Seconde Figure .





IOANNIS PECQVETI
DIEPÆI
DISSERTATIO
ANATOMICA
DE
CIRCULATIONE SANGVINIS,
ET
CHYLI MOTV.

DISSE^TRAT^IO
 ANATOMICA
 DE
 CIRCULATIONE SANGVINIS
 ET
 CHYLI MOTV.

SVMMA DISSERTATIONIS.

Sanguinis motus Circularis per totum Animalis corpus demonstratur. Ejusdem motus Causa indicatur. ATTRACTIONIS opinio Hydraulicis exempluditur Machinis. Chyli ab Intestinis in Lacteas ostenditur expressio, & TRANSCOLATORIUM Iecinoris munus astrictur.



E T E C T ^Æ superioribus Experimentis, quà Chylus devolvitur semitæ prosperitas, ad inquirendum, quo is proruit, incitabulum, audacem excitat impetum in animo confidente. Sed quoniam Lactearum cum Ascendente Cavâ commercium, Chylum demonstrat

Sanguini vētigalem: æquum Dominantis fuerit motum, ante Subditi vices, honoratori loco pertractare.

Hic igitur primūm Sytoles impulsu ruentem in Arterias Sanguinem, per anfractuosa Venarum diverticula, rursus in Diafoles usque sinus prosecuti, adhibito Experimentorum testimonio, circulari per universum corpus, & in Cavam proinde reffuo Portæ motu, concludemus circumagi.

Dein de motū ejusmodi Principio disputabimus, adversus eos præsertim, qui Sanguinis in Venas ex Arteriis effusi redditum in Cordis Ventriculos, exungenti Diastolæ retribuunt; aperienturque Pneumaticarum, quibus ATTRACTI ONE M propugnant, Machinarum mysteria, sic ut experientiā indice planum fiat Aëris Terraqueum Orbem comprimentis non Pondere tantūm, sed & Elatere, in Antliæ tubum Aquam sequi surgentem Embolum, ut & in Æolipilas eandem contrudi, & intra Folles spiritum aggeri, & in Cucurbitulis protuberosè carnem excrescere.

Tum demonstrabitur triplex ejusdem in Sanguine motū incitabulum. Nam (ô Lector) non sola Sytole Sanguinem citat; est & in Vasis turgidioribus ad naturalis capacitatis modum insita facultas; Adde vicini gravaminis, sive Respirationis pressurâ, sive Contraktione Musculari, Elasticum saltem onus.

Denique, elicito iisdem argumentis Chylosi profluvi motu, TRANSCOLATORIVM Iecinoris usum, rejecto post Aristotelem ad Sanguinis excrementa Felle, quâ perspicuitate licuerit, astruemus.

CAPVT I.

*Motus Sanguinis à Corde per Arterias ad extrema,
et ab extremis per Venas in Cor, Experimentis
demonstratur.*

 T , quorsus proruat per Arterias Sanguis, experirer , vivi Canis evolutam modò in Crure , modò in Lacerto , modò etiam in ipso , ne quid intentatum effugeret , Iugulo , Arteriam strictissimè filo ligavi ; hæc brevi trans vinculum ad extrema videlicet , sidens (gliscente cis idem , hoc est Cor versus , ob inclusi liquoris aggestum , Canali) docuit à Corde per Arterias ad extrema Sanguinem profundi .

Sed ne insimulares (ô Lector) levitatis , inferentem , diffissa trans ligamen : imo , ut reclamare tum demum desineres , abscissa prorsus Arteria vix aliquotabo vulnus infecit ; exiliente cis filium ad Cordis Systolas , ex cädem apertâ crumpentis Cruoris scaturigine .

Facto Arteriarum examine libuit etiam in Cava Sanguinis decursum contemplari: Hanc ijsdem in locis similiter involucris expeditam (liberâ , quæ comes est , Arteriâ) constrinxi ; sed , effectu superiori prorsus contrario , cis vinculum , nempe , sicut indicavi , Cor versus , concidit , turgescente , qui aliorsùm ad extrema vergit , alveolo . Tum vulnerata quâ flaccescebat , nullum Sanguinem emisit , sed quâ tumebat lacinata , ejaculata Sanguinem est , quanto vix

tota Cruralis Tergoris capacitas suffecisset.

Ergo, inquam, ut à Corde per Arterias diffunditur Sanguis, per Venarum ramulos in Cavam redux, intra Cordis ipsius Ventriculos denuò colligitur.

At ne cui veniret in dubium exilientem è Venis Sanguinem, ab Arterijs consortibus in easdem Venas successisse; Cruralem quà turgebat Venam findo, scaturivit alacriter Sanguis; tum ligo comitem Arteriam, mirum! extincto prorsùs impetu Sanguis Venosus guttatim primùm extillans, demùm penitus fluxum compescuit: At relaxatæ libertas Arteriæ fluorem renovavit, & iterum ex Venâ pari vigore Sanguis erumpens demonstravit Arteriarum cum-Venis commercium.

Nec teturbet (ô Lector) rariùs quidem, sed tamen non nunquam cis vinculum eveniens è Venâ, quà tum certè flaccidior est, Sanguinis effugium; hunc in Cavam effundunt ejusdem quaquaversum sparsæ propagines, nec dicenti crede sed experto.

Operabar, ut dixi, quadam die, ligatamque Cruris Venam utrinque vulneraveram; Ecce non solum trans vinculum Sanguis erupit, sed & eundem cis vinculum, indefecturo, ut videbatur, effluxu, miratus sum emanare. Tum eandem sursum versùs evolutam, ad Iliacorum usque ramorum dissidium prosecutus, obvios hinc & inde Venæ surculos strictissimis filis suffocavi stetit: tunc profectò cis vinculum Sanguinis fuga, &, ab eo loci, canalis ad usque Valvulam in Inguine latitantem exhaustus est; ejus offendiculum prementi deorsum Sanguinem penitus obsistens, nullam planè demonstravit descensuro per Venas Sanguini facultatem.

Ac tum ego, si Sanguis, inquam, per solas funditur Arterias, Ergo ligatis poterit incruento vulnera membrum amputari. Citius dicto Cruralem Arteriam strinxi liberis penitus Venis, & ad suffraginem paulo infra vinculum sæviens, abstuli Pedem. Effluerunt sanè cruoris aliquot guttulæ, nempe quas extremae resectarum Venarum Valvulae non retinebant, & quibus in nutrimentum cutis, diffusi per Crus Arteriolarum ramusculi complebantur. Ast vbi residuum infra Valvulas Sanguinem abscissæ Venæ deposuerunt, & Cutanearum Arteriolarum flagella, cum frigoris calorem reprimentis occursu constrictorio, tūm etiam dolentium ex vulnera partium Contractione fuerunt præpedita, stetit prorsum Sanguinis effluxus; nec ullus insuper ex vasculis per totam Sectionis latitudinem sparsis cruor emicuisse, nisi laxato Cruralis Arteriæ vinculo, Arterioso Sanguini patuisse exitus.

Id ipsum in Axillâ periclitior; id ipsum in Jugulo; sed quoniam in Canis breviori Collo fuerat operiosius, tentatum in Ansere facili negotio successit.

Ac ne demonstratum in Pecore, inficeris in Rationali, specta, fodes, Brachium tuum, si forte macies elevet tornatiles Venas; illic si turgidissimam Indicis pressurâ perfices deorsum, miraberis & Valvularum obstantium tubercula, & ab ijsdem inferiùs usque Digihi gravamen vacuum Venæ canaliculum. Specta & Phlebotomiam obeuntem Chirurgum; is, arctâ circum Lacertum institâ, Sanguinis à Manu versus Cor prævertit refugium: Strictiorem institam paulum relaxat, ut expeditâ, compressorum tororum angustijs Arteriâ, liberiori Sanguis alveo præfocatas Venas ingurgitet.

Nec verò me putas in majoribus Arteriarum dūntaxat, aut Venarum Canalibus sanguineæ Circulationis fecisse periculum ; hanc profectò tentatam ubique, etiam in exilissimis (quantum quidem perspicacitas sivit) utrarumque ramusculis , eandem ubique pariter expertus sum. Hoc in ligatis Manibus , Pedibusve ; hoc vel in Ditis Venarum quarumlibet & sectio & Valvulae demonstrabunt.

CAPVT II.

Vena Porta exceptum ex Arteria Cæliacâ Sanguinem per Iecur in Cavam effundit , & hinc Harveyj sententia Confirmatur.



ANIFESTO Sanguinis , à Corde per Arterias ad extrema , perque Venas hince odem loci circuitu : consilium fuit ejusdem in Portæ Venis motum dignoscere.

Vincti Cæliacæ , quà Sanguis Mesenterium subit , Arteriæ ramuli , non dispari à reliquis lege concidunt turgescuntque , à trunco nimirùm ad vinculum tumescentes , statim à vinculo versùm Intestina conflaccuerunt.

Mesaraicas Portæ , sæpe numerò Venulas ligavi , Verùm quamvis ab Intestinis ad ligamen turgescerent , nequaquam tamen hinc versus Hepar detumbant penitus , iinò vulneratæ utrinque Sanguinem effundebant.

Attentavi Splenicos pari successu tubulos ; etiam &

Venulam (quæ fortita nomen est ex vasculi brevitate) ad medium à Ventriculo ligamen tumidam, pone quidem ad Lienem, aliquantulum vidi flaccescere, &c, utrinque facto vulnere, cruoris effluvium.

Ex his (nisi frequentes lubeat in Portæ ramulis, cum Arterijs confortibus Synanastomeseis admittere) aut nullis infero Valvulis, aut pauxillis certè Sanguinem intra ejusdem Venæ propagines cohiberi.

Subiit illico Riolani mens, *Sanguinem* videlicet *Portæ per Iecur in Cavam nullatenus transfluere*; méque tanti viri auctoritas ab ulteriori scrutinio prorsùs abripiisset, nisi reclamavissent oculi, quos spectaculo severos judices præfecerām, ignaviam exprobrantes in medio stadio deficientis.

Ergo anxius ad Portæ truncum recurrens trium ab Hepate digitorum interstitio Mesentericum ramum coërcui ligamine; pari distantiâ Splenicum angustavi; arctus quidem nodus fuit, sed tamen facilis laxaturo. Vix stringere desieram, en ad Iecur à vinculo, qui priùs intumuerat truncus exangui alveo conflagavit; ingurgitatis aliorum utriusque rami canalibus, non mediocri tum ab Intestinis atque Mesenterio, tum etiam à Ventriculo & Liene derivati Sanguinis confluxu.

Exhaustum replevi Portæ truncum relaxato ligaminum altero; móxque restricto rursus ad Hepar concidit; iteratōque crebriùs experimento, palam fuit affatim & impetuose in Iecinoris anfractus ex Portâ Sanguinem irrumperet. Et animadvertis quantos Hæc per ejusdem visceris concavam partem ramusculos, in Sanguinis (Arteriarum more) vehiculum distribuat: Num (inquam) & ipsa Iecori, Arteriæ ti-

tulo, Porta fervidam Sanguinis copiam in Ventriculi, coëtricisque sarcinæ fomentum effundat? impari prorsus, ut conjiciebam, effectui tanto, Cæliacarum propaginum exilitate.

Et bene, Porta nempe intra Iecur Arteria prorsus est; ut enim à trunco Sanguinem ad extremos ramulos dimittunt Arteriæ, Venæ autem ab extremis ad truncum reducunt, sic à trunco Porta Sanguinem in Hepar ad extremas mittit propagines, quem extra visceris concavum suis ab extremis ad truncum collegerat. Et ut sunt Arteriarum tunicæ Venosis crassiores, sic Porta crassiorem intra Iecur tunicam adeptæ est, quâ sit ea, quâ per totam viscerum substantiam dispergitur.

Nec me, cùm crassiorem intra Iecur dico Venæ Portæ tunicam, ab $\alpha\omega\tau\omega\psi\alpha$ desciscere arbitreris, Animallis enim, quod lustrabam, ocyus disrupto Parenchymate, nudæ Portæ formam expedio. Ejus tunica extra Iecur Venatum simplicitatem retinens, intra Iecur Arteriosa omnino apparuit, sic ut indubitatò patuerit, quod antea suspicabar, Sanguineorum, nempe, canarium alios, ut est Aorta, nomen Arteriarum mereri tantum; alijs quod in Cavâ planum est, solam Venæ appellationem congruere; esse denique, qualēm Portam expertus sum, in utrarumque munus à Naturâ dispositos.

Sed cum ambigerem, quò tantum revolveretur Sanguinis profluviū, ratūsque in Cavam festinare, ejus, ne dixerim cum antiquis truncum, sed ramum, quâ subit Hepatis gibbum, remoto ab ipso Iecore, quantum licuit, vinculo suffocavi; ac tum ad vinculum Sanguis proruens (ingurgitato supramodum à Iecore

core, ramo) docuit Portæ cum Cava manifestum commercium ; quāmque appositè doctissimus inter Anglos Medicos Io. Harvejus universi motum Sanguinis dixerit Circularem.

CAPVT III.

E dextro Cordis Ventriculo Sanguis per Pulmones in Sinistrum fluit.



ESTABAT id unum ad tantæ Circulationis complementum , per Cor è Venis in Arterias demeaculum Sanguinis internoscere. Evidens in Fœtu , adultisque foraminum & anfractuum devehendo Sanguini diversitas , anxium animum lacerabat.

In adultis quidem , Ovalis (cui Detectoris Botali nomen indiderunt) apertura , aut , si mavis , Synanastomosis non solet perseverare. Ea est , quæ in Fœtu Sanguis è Cavâ dextrum Cordis ingurgitante rectâ Ventriculum , etiam per Venosam Arteriam immedietè sinistrum subit.

Nec pervius remanet , sed in ligamen degenerat canaliculus , quo per Venam Arteriosam Fœtū Aorta Sanguinem , absque Sinistri Sinus diverticulo , excipit à dextro compendiosè.

Vt igitur tandem Cordis pateret cum ostijs Cavæ commercium , Parenchymatis considero structuram cum Anatomicis in nobilissimo viscere. Ac in primis se se obtulit trisulcarum in ipsius Cavæ , & ejus , qui

ad dexteram est, Ventriculi confinio, Valvularum triplex offendiculum; libuit earundem notare munus; ingressuro Sanguini facilem in Cor aditum concedentes, refluxurum in Cavam penitus morabantur.

Septi, quod Ventriculis medium interjacet, impervia soliditas transitum prorsus negabat. Ergo in Arteriosam, infero, Sanguis è dextro Ventriculo profluit Venam. Et verò tres illàc Sigmatoïdes Valvulæ, prouentis impulsui decedunt, recursuro duntaxat obstituræ.

Disrupto nihilominus Septi obice, sinistrum subeo speculatorus Ventriculum. A dextro quidem ille oblongiori nonnihil, arctiorique capacitate discrepabat; duabus aperturis totidem canales, hinc, cui Arteriæ Venosæ nomen est; inde, quem Aortam nuncūpant, inserebantur, stantibus ad utriusque confinia Valvulis, hujus quidem tribus (ut in Arteriosâ Vena) Sigmatoïdibus, velut in obsequium effundendo Sanguini, & obstaculum refluxuro; illius verò geminis Triglochinæ ostiarijs, in Sanguinis intra Cor admisionem, ejusdemque retro fugæ interdictum, excubias agentibus.

Ex hâc Cordis fabricâ & ipsius instrumentorum muneribus, non licuit ultrà, Sanguinis in Pulmonem à Corde per Venam Arteriosam profluvium, & rursus ejusdem in Cor à Pulmone per Arteriam Venosam refugium, negantibus suffragari.

Ac, ne pertinacia conjecturas nobis improperet, affero Experimentum. Vas utrumque, quām proximo concessum est Pulmonibus, strinxī ligamine: tūmque Venæ Arteriosæ canalis ad filum à Corde tumefactus, ad extremos ramusculos, ab eodem filo

conflaccuit: ast tubus Arteriæ Venosæ contrario prorsùs intumuit effectu , conciditque.

Sed quandoquidem ad geminas Pulmonum Venas sermo devolutus est, ineptis (meo quidem judicio) Anatomici vocabulis utramque distinxerunt. Nam quidnecum subtilissimo Cartesio , Arteriam planè vocitavero, quæ se dexter in Pulmonem Cordis Ventriculus exonerat , dum eam & tunicæ densitas, & Valvularum figura , & excipientis à Corde Sanguinem officium infundibuli , cæteris omnino per Corpus Arterijs assimilant? Et cur ei , per quam purpuram in Cor revomit Pulmo , Venosæ conferant Arteriæ titulum , dum & tunicæ & Valvularum & officij testimonia eandem afferunt Venam esse ? Vt cunque tamen audiant, scito mihi perinde fore, dum noscantur ; sed evidens hac in re Veritas Harpocrati litare non debuit.

C A P V T I V .

Sanguinis in Fætu Circulatio.



V o d hæc tenus de Circuitu Sanguinis demonstratum est , velim (ô Lector) intelligas adultis maximè congruere , non quod ipse per Fætum etiam non devolvatur Circulariter , sed quod diverso nonnihil circumagatur itinere.

Per Hypogastricas Prægnantis Arterias in Uterum devicitur Sanguis ; hujus quod magis coctum est

in Embryonis Hepar Vmbilici Vena devolvit; quod serosum magis & incoctum per maternas Venas in Cor velut in cacabum remeat, crassiore in Placentam, seu Iecur Vterinum concrecente.

Exceptum in Hepar Embryonis Sanguinem, inde Cava & in dextrum Cordis Ventriculum, quâ eidem conseritur, & simul per Ovalem aperturam protrudit in sinistrum. E dextro Cordis Ventriculo Sanguis Arteriosam subiens Venam, partim per interjectum, instar incilis obliqui, canaliculum in Aortam redundat, partim irriguâ copiâ Pulmonem occupans, tantâ eundem opprimit gravitate, propter difficultem ab extremis Arteriosæ Venæ in Venosam Arteriam secessum Respirationis defectu, ut Fœtûs Pulmo (nisi respiraverit aliquanto tempore) Iecinoris & colorem referens & densitatem nunquam Aquæ supernaturat.

Respiratio certè in Venosam Arteriam Sanguinem citat, Bronchijs socias, hinc Venam Arteriosam, & Arteriam inde Venosam, in expressionem inclusi Sanguinis, quorsus Valvulæ sinunt, spiritali dilatatu comprimentibus.

In Aortam immediatè se sinistri Ventriculi penetrat Sanguis, indéque proruens ad extrema, per Venas, ut in adultis patuit, in Cor demum recepit sese.

Et quoniam uberiorem, quâm Fœtûs nutrimentum exigat, Vmbilici Vena Sanguinem fundit, aut ex Iliacis, aut (quod frequentius deprehendi) ex Hypogastricis Arterijs ad Placentam usque geminos (Vmbilicalis Venæ consortium) ramos Naturæ prouidentia fruticavit. Illi superfluum è Fœtu Sangu-

nem in Iecur Vterinum refundunt, sive motūs id exigat celeritas, sive materni Sanguinis impura moles calidioris mixturā postulet defæcari.

Ac ne refluxum hunc expressisse videar inanibus Argumentis, insere sodes Vmbilici canalibus in Placentā stipulam; sola tum, si flaveris, Fœtui Vena spiritum insinuabit: at è contrà, si stipulam intra Fœtum inspiraveris, in Placentam Arteriæ Aërem effundent flaccidâ penitus Venâ.

Vmbilicalis Vena tandem à nativitate sensim inutilis, in ligamen degenerat: quo fato, Arteriosæ Venæ in Aortam canaliculus fatiscit, & Botali foramen resarcitur. At prorsus remanent Vmbilici Arteriæ; id in adultis sæpenumero, quos dissecabam observavi; Hypogastricis scilicet, Iliacisque spiritus immissus Arterijs, non Vmbilicales tantum ad Vmbilicum proximè tereti, quem refundebat, tumore exhibuit spestabilis, sed infinitis earundem circumquaque ramusculis irrepens, Arteriosam illic luxuriem tumidâ inanitate declaravit.

CAPVT V.

*Arteriosum sanguinem Partim per Synanastomoseis
in Venas elutriari ; partim per Anastomoseis ex-
travasatum in Venas demum refugere.*



EMONSTRATO Sanguinis in Corà Cor de Circulo, æquum est & eorum exemplo, qui bene de Anatomicâ Republicâ meriti sunt, ejusdem ab Arterijs in Venas meatus æmulâ superioribus perscrutemur indagine.

Opinantur plurimi Arteriarum extremos apices summis inseri Venularum infundibulis. Sed vasculorum in extremis exilitas nullis oculis, ne Microscopio quidem instructis, obnoxia nec stabiliendæ sententiæ prodest, nec sufficit impugnandæ.

Afferunt & radicibus in Iecur à Portâ inspiratum halitum conjunctos Cavæ subire ramos ; & in Pulmonem à truncō Venæ Arteriosæ, in extremas sese Arteriæ Venosæ propagines insinuare.

Tentavi certè pluries in Iecore, sed irrito tamen conatu Experimentum; dubium spiritūs in me defectu, an eorum errore.

In Pulmone quidem expertus sum communia Synanastomoseon inter ejusdem canalis hiscere infundibula.

Quadam die studium fuit extricatam involucris Arteriosam Venam contemplari. Observo tum non paucis amplexuum nexibus Arteriæ Venosæ tenaci-

ter adhærescentem. In illam, quā Cordi conseritur, immissā stipulā spiro; nec mora, sidentes defectu Sanguinis canales serpens halitus instauravit, & ad extrema capillarium Venarum devolutus, indidem in Arteriæ Venosæ capacitatem, evidenti sanè Synanastomoseōn argumento, receptus est. Sed utcunque sit exploratum in Pulmone, non perinde tamen per Hepar, musculósque ratum concludo.

Fatebor equidem alicubi Synanastomoseōn intermedias elutriando Sanguini aperturas; Id cum Arterijs per loca probat individua Venarum cohærentia, & sine utrarumque lanienâ nunquam facile divor-tium. Sed ineptè, puto, quis Synanastomoseis ad-miserit, ubi nullum cum Arterijs Venarum consor-tium: Imò potius autumarim, per Anastomoseis, Ar-teriarum extra claustra, transcolandam in Carnes exu-berare Sanguinis partem, ut inde, quod exactiori co-
etione dispositum est, in similarium fidat nutrimentum; quidquid verò minus digestum cum fluidiori sero in Venas, à foris in interiora circumquaque for-sitan pervias, refugiat.

Nam si perpetuus intra Vasa fluor nullum extra san-guinem effundat, unde Corporeæ molis augmentum? &, si partium Corporis in jugi sit motu substantia, unde tabidam fatiscentium maciem instaurari?

Est profectò seminij quiddam in Sanguine resarcien-dis idoneum damnis; nempe quidquid coctius in fi-brosam solet coïre densitatem. Et verò, diffusis per Aquam (dum Sanguis ab Artibus in tepidam ex-pressus est) sero & colore, membranosi remanet in pelvis fundo sedimenti fibris albicantibus Carnea, proindéque soliditati Corporis aptior spissitudo; ni-

mirum, quæ vel saturatis residua partibus, vel elutorio succendentis forsitan Sanguinis eliquata vigore, vel Synanastomosean transvasata compendio, festinabat in Cordis cacabum recoquenda.

Ac ne quispiam Synanastomosean & Anastomosean ex vocum similitudine munia confundat, Synanastomoseis appello intermedias Arteriarum cum Venis cohærentium elutriando Sanguini aperturas; Anastomoseis autem Arteriarum extravasando Sanguini emissaria, & Venarum recolligendo infundibula.

OBJECTIONES *adversus extravasationem Sanguinis dissolvuntur.*

SE D audio reclamantem subtilioris in Arteriâ Sanguinis prærogativam. Nam si transcolatus in Carnibus, qui Venæ crassiorem, inquies, effundunt?

Meritò sanè, tecumque forsitan mirabundus adstuparem indebitam crassitatem, si totum, quod continent, Arteriæ serum, si calorem eodem fervore, si impermixtum denique tabescentis Carnis senio, possent Sanguinem Venis intrudere: At nemini dubium est Arteriosum serum partim in Renes secedere, diffundi partim per Carnes, partim per insensilem transpirationem evanescere; Sicut & eâ, quæ tunicis Arteriarum est, spissitudine, fomitisque viciniâ calorem sustentari, frigore Spermaticarum partium relanguefcere, Cordisque derelicti sensim intepescere distantia; Adde & pororum faciles expiraturo meatus; Carnes autem ut paulo crescunt, ita destrui jejuno; id alternis per diem approbant langor vigórumque

que , sicut esuritio atque saturitas. Quod nunc in Carnes coit , brevi senescens , superuenienti ut plurimū cedit nutrimento ; nempe , quod algoris offendiculo coaluerat , calidi fluoris dissolutum accessu interceptum iter rursus aggreditur , & recoquendum , ut dixi , repetit officinam.

Imminutum serum est , temperatus calor , admixtæ Carnium mutatarum fæces , quid mirum Afteriosum Sanguinem , à Venoso substantiæ consistentiâ superrari ?

Nec sapientius OB RICIES ejusdem extra Vasa restagnantis inevitabilem corruptelam. Exundat equidem per universam Corporis molem ex Arteriarum claustris errabundus Sanguis ; hoc Animalis incrementum denotat , hoc Frontis erubescens indicat pudor , hoc circum-ardentium tumorum Phlogofis ; ut & idgenus pathemata demonstrant , evanido statim post Phlebotomiam vestigio repallescens.

At sola tamen Venarum , si restringantur ultra sufficieturam refluxuro capacitatem , angustia Sanguinem fistit ; inque morâ , si longior fuerit , qui successurus est , retentæ fæcis mixturâ conspurcatur , & in varios tum demum , pro noxiâ dominantium humorum diversitate , morbos dissolvitur. Ita dum effervescit calor vehementius , in Phlegmonem Sanguis accenditur ; Vberius Serum , nisi aut exhauserit sudor , aut transpiratio exhalaverit , in Hydrope videas excretare , vel diffundi non nunquam in Rheumatismum ; Putrefactare Pituitam in Oedema ; ebullire Bilem in Erysipelas ; & in Scirrum Melancholiæ condensari.

Hinc & in Pleuritidem etiam Sanguinem ipsum

concrescere ; nempè cùm subitum invadit interiora frigus , vehementiorem anhelantis æstum intempestivè repercutit , & , constrictis repente no algore Venarum intercostalium canalibus , vix sufficientes jam refluxuro Sanguini , qui tum crebriori Systoles Arteriarumque motu aggeritur , alveos coarctat , sidentemque diutius eundem , qui effusus inerrat Carnibus , demum nisi Phlebotomia succurrat in saniem cogit.

CAPVT VI.

*Sanguinei motū principium inquiritur. Innatum
Sanguini pondus , licet Arteriæ cum Venis Siphonem agerent , ejus Circulationi probatur non sufficere.*



NGOREM aggerat , non aufert detectæ rei nondum evidens causa. Sanguinis motus cognitus est , sed ejusdem etiamnum latens Principium , novum provocat ad laborem , cuius quidem salebras , his tibinitar (ô Lector) monitis explanare.

Vel proprio ruit incitabulo Sanguis , vel impellitur alieno ; Proprium quidem ipsi nullum præter gravitatem agnoscimus , cuius virtutem subjectis rationibus libet evanidam demonstrare.

Sanguis certè , quem per descendantes Arterias posset , & per ascendentem Cavæ caudicem , innatum Pondus deorsum abripere , nequit codem ad su-

periora connixu per ascendentes Arterias , sicut nec per descendantem Cavam confluere ; nisi fortè cum quibusdam insignis notæ Philosophis , dispositioni vasculorum tribuas effectus hujuscemodi rationem . Nam , inquiunt , ita cum Venis Arteriæ cohærescunt , ut non immeritò dicas Siphonis fabricam imitari .

Siphonem autem appellant reflexam fistulam , cuius quidem aut sublimem angulum declivia crura sustineant , aut erecta depresso angulo innitantur .

Vt ergo , ad sublimem Siphonis angulum ascensurus succedat liquor , necesse est crus illud quà corruet de pressiori subtendatur emissario , ut fortior exinde liquidæ molis gravitas per alterum ostium debiliorem Aquam ad sequendum mobilitet . Ita per ascendentes Cavæ caudicem , quem Naturæ providentia demissiorem paulò Arteriarum ascendentium ostijs constituit , defluet (inquiunt) Sanguis , qui propter hoc altrinsecùs debebit sequaciter ascendere .

Et ut in demissum suo Pondere ruens alterius Siphonis angulum , liquor è fundo suopte reflectitur instinctu , donec æmulâ utrinque superficie æquilibrij denotet quietem ; atque si reflexionis fistula brevior demissiorem aperturam alterius cruris infundibulo expanderit , futurum est ut proprio , propter eandem gravitatem , defluvio effundatur : Ita Sanguis , inquiunt , per ansatum descendantis Aortæ truncum ad infima præcipitans , per descendantem ultro Cavam è fundo resilit , & per ejusdem ostium , quod quidem tantisper demissius est , defluxu spontaneo rursus in Cordis gurgitem refunditur .

Memineris autem (ô Lector) ne ambigua tibi faciat nomenclatura negotium , Ascendentem dici .

Cavam, quæ sursum versùs à Corde luxuriat; at quæ suas hinc effundit deorsum ad extrema propagines Descendentem, ducto ab origine, non ab officio nomine.

Sane dices cum Naturæ artificio veritatem ipsam in eorum conspirasse sententiam, meosque plausus injuriâ evidentissimis rationibus denegari.

Sed si mecum observes eodem, ad sublimem Siphonis angulum, tempore liquorem, quo deorsum ruit, ascendere; & rursus à depresso ejusdem Siphonis inversi angulo descendere, quo illuc infunditur; patet tum, quām sit incongrua Siphonis cum Sanguineo motu jugis fluendi successio.

Et verò Sanguis, dum Systole eum expressio patulis intrudit Arterijs, eodem quidem in Venas per extrema se penetrat momento; sed tunc duntaxat è Venis in Cor irrumpit, cùm desinens Systole suas vicissim partes Diastolæ concesserit. Et vel ex hoc Sanguinem planum est, Siphonum liquores nullatenus imitari.

Sed quoniam ab ijs, quæ placent, ægrè discedimus, Quæro, si Sanguinei canales Siphonem agant, Et ob id æqualem utrinque plenitudinem necessariò postulet sacramatis ratio, qui fiat ut in Cadavere mors turgidis Venis Arterias prorsus exhauriat?

Etiam adversus Siphonem Circulationis Experimenta suffragabuntur. Iugularis Vena stantis Siphonis ab angulo sublimi repræsentat in Cor emissarium; hanc cum in Collo ligavi, nihilominus per ascendentes Arterias sursum immissus est Sanguis, imo & supra vinculum extramodum Iugularem Venam intendit.

Docuit & id ipsum Cruralis Venæ strictus canalis, nimirum à ligaturâ versum Cor flacidus, eò Sangu-

nem patuit effudisse ; hujus autem tunc in Cor ascensum, puto, quis ruentis in Aortam molis insulse gravitati tribuerit.

Sed nec ipsa, quæ Crus alluit Arteria, cum ligabitur (si tribuendus Ponderi, Sanguinis, ut in inverso Siphone, motus) sub vinculo poterit, contra Experientiam, vacuari ; nam tantillum illic residuum Sanguinis, totum nequibit, quod in Cavâ gravitat, Sanguineæ molis Pondus sursum versus protrudere.

Cum autem dixi mortuorum exhaustas Arterias, cave putas in evanidam Arteriosi Sanguinis subtilitatem refundendum. Est enim huic sua quoque densitas, nec ejus forsitan, qui Venis tum Cavâ, tum etiam Portâ includitur, minor crassitudine.

Monenti suppeditabit facilis Experientia. Viventis Animalis vulnera Cavam, eodem cum Aortâ, sed & ipsam pariter, si lubet, Portam tempore; certè suo quisque vasculo elicitus Sanguis residet; nullus solvetur in vaporem; & nisi, qui ex Arteriarum ramulis exprimitur, lætiori paulò purpurâ rubesceret discrimin quæteres inanissimo examine.

Poteris & in moribundo Sanguinem Arteriosum, si Arteriam in Cruribus liges, sistere; hoc & ipse multoties operatus, subtumidam esse versum Cor Arteriam, Sanguine vidi nequaquam evanido.

Ergo cum nec Siphonis ratio Circulari Sanguinis motui conveniat; nec ipsum pondus eidem inservire videatur, imò esse plerunque (sicut in pendulis negligentiis Artibus planum est, obstupescente Sanguinis pigritiâ vigore) impedimento; Ad externi virtutem incitabuli, proprio deficiente, confugiendum.

CAPUT VII.

Circulari Sanguinis motui sola Systoles Impulsio non sufficit. In Diastole ATTRACTIO nulla.



ANGVINEM extrinsecus Impulsio Systoles, Diastoles ATTRACTIO, rugosa Vaforum Contractio, & adjacentium partium quilibet ex causâ Connexus, videntur afficere. Harum Vtrum, & Quid quilibet ad Sanguinis motum conferat exacto discutiamus examine.

DE SYTOLES IMPULSIONE.

Systole Sanguinem pellit, trusaque pars præcedentem abigit partem; sed illa, quæ Cor ipsum postrema deserit, dum in moribundis Arteriæ vacuantur, quamvis nullâ corruat in sequente, nihil minus in Venas festinat; & dum Cruralem Arteriam in Animali vivo ligavimus, trans vinculum eam ad extrema inclusum sensim flaccescendo Sanguinem absque sequentis, quem filium inhibebat, incitamento, vidimus effundere.

Experieris idem in Venâ, quæ Crus perluit, interrumpente continui Sanguinis tenorem ligamine; tum enim ad filum ab extremis turgida, properante nihilominus versum Cor Sanguine, non soli Systoles urgentis impulsui decursum per Arterias ad extrema, nec ad Cor inde per Venas refugium tribuendum demonstrabit.

DE DIASTOLES ATTRACTIONE

Diaستoles ergo munus observandum. Hujus est Sanguinem excipere; Sed num, ut quibusdam placuit, ATTRAHENDO pelliciat, exugatve, sive que Systoles Impulsui subsidium ferat vestigandum.

Diastole Systolen immediate sequitur; Ergo cum Systole definit, jam turgidis Venarum urgentium canalibus, parata eruptioni Sanguinis moles ad Cordis fores pultat, illiusque ingurgitat Ventriculos, Diastole solū obsequij vices conferente; sic ut indubitate pateat, quam sit superfluum ATTRACTORIAM aut SVCTORIAM, si mavis, virtutem constituere, quam in fluidorum quidem negotio ægris semper auribus toleravi.

Et certè quidquid Aduersarij argutentur, & quascunque in ATTRACTIONIS opem Machinas adhibeant, eloquentior Experientia refellit, diruitque. Iisdem Machinis pugnare libet, sic ut suismet ipsi tandem armis prostrati fateantur Aërem in Follis, quos adducunt; Aquam in Æolipilas, aut Antliam, Calamum-ve; Carnem demum in Cucurbitulas nullâ SVCTIONIS illecebrâ, sed EXTERNAE duntaxat IMPULSIONIS violentiâ succedere.

Vt feliciori conatu valeam involutum hactenus explicare mysterium, supponendum venit ab Aëris non Pondere tantum, sed & Elateris eidem innati virtute comprimi Terraqueum Orbem: Verum quoniam ægrè, quidquid etiam num est in dubio, supponitur, patere, sodes ô Lector, iisdem te mecum argumentis, & Experimentorum evidentiâ suaderi.

CAPUT VIII.

*Esse non PONDVS tantum, sed & rarefactorium
Aëri ELATEREM Experimentis
demonstratur.*



GEREM de Aëris Ponderositate, etiam in proprio (ut aiunt) loco, nisi notum foret omnibus argumentum. Ecquis enim non videat Aërem ultrò in lacunas & scrobes, vel ad imum usque (si foderis) Centrum Mundi descensurum ? Quis nesciat Folliculum, quò turgidior est, cò etiam fore se ipso flaccido graviorem ? Quis, si trutinaverit intensam condensato Aëre (quæ Pneumatica dicitur) Catapultam (vulgo *vne harquebusé, ou Canne à vent*) ejusdem tum pondus non observaverit superaturum explosæ gravitatem ? Cui demùm Æolipilæ calidæ , seu cuius Aér vi caloris apprimè rarefactus est, ignota levitas, nunquam ejusdem frigidæ gravitati comparanda ?

Nec verò Aëreum ejusmodi Pondus in Athmosphæræ vapores refundendo, putas sententiâ me deterrei. Per Aërem enim Athmosphærā intelligo, nec altius impræsentiarum mea Philosophia transcendit.

Hunc fingito tibi velut spongiosi vel lanei potius cumuli Terraqueum Orbem ambientis molem ; cuius proinde partes superiores ab inferioribus, compressione gradatim incedente, sustineantur, sic ut, quo Terris accedunt vicinius, cò etiam incumbentium nisu.

nisu & Pondere compactius opprimantur ; & ob id spontaneo dilatatu (quem Elaterem nuncupo) ut cunque gravitet agrestarum onus , subiectae nitantur , si libertas adsit , rarefcere .

Hinc infero ejuscemodi partium infimam , ut toti subiectam oneri , sic omnium esse maximè condensatam ; & per hoc ab eâdem non solo duntaxat Pondere , sed & Elateris , cuius tum validissimus ad rarefaciendum nixus est , virtute Terraque Sphæræ premi superficiem .

Sed quia verba sunt & ab auribus tibi contulijus ad oculos provocandi ; antevertam desiderium tuum , & nubilosum Aëris secretum eventilante , quam ducem usquequaque sequor , Experientiâ collustrabo .

Afferam imprimis aliquot nondum typis concessa , quod sciam , Experimenta de Vacuo , non meæ quidem egregia solertiæ monimenta , absit arrogem mihi detectorum gloriam miraculorum , quæ mihi priori minimè patuerunt . Nam quidquid exacto conamine circa tanti pondus argumenti crebrius erroris metu qui me solicitabat , operando laboraverim , imitatione fuit , non periculum .

Auctores adducam non librorum , quos hanc in rem ne audivi quidem circumferri ; Sed eorum saltem , quæ sequuntur , Experimentorum ; & quorum grandis auctoritas & nomen venerabile .

DISSERTATIO:
EXPERIMENTA
PHYSICO-MATHEMATICA
DE VACVO.

EXPERIM. I.

Vacuata vesicula sponte ad Hydrargyri lapsum, intra sublimem tubi ampullam rarescens, Rarefatorium Aëris indicat ELATEREM.

ROBERVALLIVS Mathematicæ Parisiensis in Regiâ palæstrâ professor meritissimus, ita in ejus virtutis, quâ sponte dilatatur Aér, favorem non innani certè conamine, etiam me præsente, operatus est.


Ampullam ex vitro habuit AB, quam utrinque & patula basis B, & hiscens tripodali saltem longitudine producti colli extremitas A, aperiebat. Per basis ostium B, strictissimo obturatum filo vesiculærum in Cyprini piscis alvo tumentium alterutram inclusit in C. Vacua erat Aëre, quantum quidem licuit; eam nimirum, ne tuniculæ lubricitas exprimenti Aërem esset obstaculo, exsiccatam aliquantulum parcente violentiâ contorserat, & factum in cæ foramen codem excluserat ligamine. Tùm, quia Suillæ præ cæteris vesicæ compactior in tunica spissitudo fugacis Hydrargyri compescit proterviam, ejusdem impactu tunicæ, repandæ basis hiatum amplexus, totam vitrei corporis AB capacitatem, ad

supremum usque prælongi marginem colli , fusō complevit Hydrargo. Oclusit Indice velut spissa- mento ostio- lum A, inver- sámque per- pendiculariter continens la- genam alteri, quod in para- tum D , vas- culum infude- rat , Hydrar- gyro, obturan- tem simul cum ostiolo A, di- gitum immisit: quo subtracto leviter , cor- ruens oxyüs su-

blimis Hydrargyri moles ampullam diseruit , ac post varias intra colli tubum vibrationes , superfluarūm- que partium suffugium stetit in E, nec ipsum tubum ampliori septem vltra viginti pollicum longitudine supra stagnantis in inferiori vasculo D , Hydrargyri superficiem visum est occupare.

Apparuit suspicentibus mirabile certè spectacu-
G ij

P F I



lum ; Cyprina, quam intra sublimem ampullam angustioris obstaculum colli retinebat, vesicula sponte retumuit. Stupuisse profectò (nisi mens oculorum erroribus mederetur) ad turgidæ plenitudinis in circumfuso, quod aiunt, Vacuo repentinum in C, Meteorulum. Sed residua Aëris intra contortæ quidem, verùm non exhaustæ penitus vesiculæ recessus, pertinacia docuit esse spontaneum in Aëre libero, nec alterius incumbentis nisu, compresso ad dilatationem Elaterem.

Nam, quam afferunt, ratio futilis est; Penetrat, inquiunt, vitream Ætherea subtilitas densitatem, & affusa quaquaversum complicatae vesiculæ, per illius tandem poros intus irrexit, ac totam in pristinum distendit tumorem; Sed meminerint, quod autumant, pervium esse circumquaque vitrum ingressuro Ætheri & proinde versus vesicam, in lagunculæ meditullio C, expositam, Ætherem æquali undique radiorum irruentium impetu ferri; sic ut eam potius interceptam comprimat, opprimatque, quām eidem in seipsum reacturus, inutilem dilatationem curet impone-re. Adde quod perforati undecunque vesiculæ parientes exceptum intus Æthera sistere nequirent, aut retinere.

Nec obest, quod afferunt, pervios ingressui poros regressuro transitu interdicere. Tunc enim intromissus Æther obiectis undique Valvulis cogeretur intus subsistere, ita ut vesicula reparatum semel tumorem retentura esset, & plenissima permanusra: quod falsum esse vel inclinata tantisper Machina, vel admissi extrinsecus Aëris exigua particula, flaccescente rursus vesiculâ demonstrabunt. Atque hinc corruit eorum

Opinio, qui Hydrargyreis vesiculam spiritibus autumant returgescere,

Ex quibus cùm liquidò constet Aërem, qui vesicæ, post contorsionem intimis recessibus tenaciter remanserat, ejusdem tunicam in Hydrargyri lapsu, insito Elatere dilataffe; etiam eum, qui interiori lagenæ superficie metallico afflictus pondere, inque rugis exterioribus vesiculæ interclusus restiterat, patet & ad totam lagenæ plenitudinem ejusdem Elateris virtute suffecisse.

Nec adversarij putent Hydrargyri gravitatem, dum lagenam implebat, Aërem penitus foras eliminasse. Sicca continguitas Aërem non excludit, cuius extermium soli concessum glutino; in cæteris aut adest Aër aut superficies adhærent. Sic pueri corium humefaciunt, cuius impactu elevent & pendulas librent projiciantque gravissimorum lapidum molles. Nec ipsi liquores in totum decedunt; Consere manuum quantolibet connixu madidas volas, nullâ tamen pressurâ, intimus cavernosæ cutis sinubus humor facesset; tertum naturâ vitrum est, & ab arte tamen accipit polituram, nec in Hydrargo subturbidus argentei candoris nitor perfectissimam arguit lævitatem. Metalli certè pondus vitreæ cavitati oppressum, ut dixi, Aërem affixerat, quem collapsu expediens, intra tubum undique proprio se expliciturum Elatere revibravit.

Inferes forsitan, Aërem affictu Hydrargyri tumultuosè cadentis ad dilatationem incaluisse. Ita & ego saperem, nisi vitreorum parietum immota stabilitas obstitura decursui videretur & lapsuras, quæ vitro continguæ sunt, Hydrargyri partes versus centrum

tubi devolveret potius, quam easdem sineret perpendiculariter decidere. Ita riparum aggeres fluentorum per medios alveos præcipitantium latera reprimunt. Ita infundibulorum capacitas in solo sidentis meditullij gurgite concedit vorticosis liquoribus, aut ipsis etiam, siquidem in moletrinis annotasti, seminibus suffluendi libertatem.

Stupuissem alternos resulториæ vibrationis intra tubum impetus, nisi, qui tum Hydrargyro vasculi D, exteriùs incumbebat Aér, & cuius est substantia comprimi facilis, coactus ruentis è sublimi lagunculâ corporis graviori moli concedere locum, suspicionem fecisset ipsum (Aërem videlicet) Elasticæ virtutis percussu etiam intra tubum Hydrargyri saltus reciprocasse, donec tandem ejusdem connexus inclusi tubo Hydrargyri pondere non vinceretur.

EXPERIM. II.

*Compactiores esse gradatim subjectas incumbentibus
Aëris partes, diversus Hydrargyrilapsus, pro di-
versâ montis altitudine probat.*



Ec me putas, dum premi Terram ab Aëre pronuntio, involvere sententias sermonibus imperitis; habeo eximum testem solertissimum Pascaliū filium, qui primus in Galliâ nostrâ vix natum apud exterōs, & in cunabulis penè suffocatum de vacuo Experimentum Hydrargyron non solum, sed & liquoribus suscitauit, imò tam felici proœxit mirabilis industriæ successu, ut per to-

tam Europam tentandi Vacui studium veræ sapientiæ cultoribus indiderit.

Ejus curâ nuper in Arvernis facto ad excelsissimi montis, quem vulgò nuncupant *Lepuy de Domme*, prope Claromontium civitatē, radices Experimento, ei, quod superius exhibuimus, propemodum simili, infusum tubo quatuor pedes longo Hydrargyrum, ad tertiam sequilineam vigesimi-septimi pollicis suprà restagnantis in subiecto vase Hydrargyri superficiem delapsum est. Conscensâ deinde montis regione Centum & quinquaginta circiter sexpedarum altitudine radices superante, qui remansit intra tubum Hydrargyri Cylindrus quinque duntaxat & viginti pollicum obtinuit longitudinem. Superato demùm jugi vertice quingentas ad minus suprà radices alto sexpedas, idem Hydrargyri Cylindrus in secundâ vigesimi quarti pollicis lineâ quietis est & altitudinis simul terminum adeptus; & sic ab imis radicibus ad supremum montis culmen, trium pollicum & unius sequilineæ spatio decurtatus est, nimirum qui circumfluit jugo minori quàm medius insimúsque partium pressurâlevior Aér, breviorem quoque Hydrargyri Cylindrum debuit ad æquilibrium sustinere.

Nec mireris hoc Experimentum cum ijs, quæ Lutetiae Pariosiorum tentavimus, Hydrargyri lapsu non congruere; nam & discrepantia mensurantis in Arvernâ pedis à nostrate, quem lineis aliquot (siquidem exactè observavi) superat, & à Centro Mundi varia forsan locorum distantia, vel te judice, potuerunt in Experimentis æqualitatem non seruare.

EXPERIM. III.

Exterioris Aëris cum interiori Hydrargyri cylindro æquipondium ostenditur.




V B E T etiam, ne pertinax in te Antiquorum opinio adversum argumenta remur-muret, quibus exterioris Aëris cum Hy-drargyro interiori stabilitur æquipon-dium, te Vacui in Vacuo, tentatum primò feliciter acutissimi Auzotij sagacitate, Experimentum condo-cefacere.

Habe superiori similem & simili protensam collo lagenam AB, nisi quòd stet juxta basim B, canali-culi G auctarium, per cuius ostiolum, quoties opus fuerit, ingressus Aëri pateat in lagenam. Per inversæ sublimisque basis B apertum ostium inducito quadra-tum parallelepipedâ compage vasculum C, sic ut ejus capacitas versus supremum basis B, hiatum patula, fundo suo subjecta perpendicularis colli AC, fistulæ horizontaliter immineat. Sanè vasculum C, exter-nis quatuor angulis interius innixum vitro dabit in arcibus demeaculum, idest inter latera vasculi lage-námque intercapedo pervia remanebit. Injice vascu-lo C, verticalem seu erectum eleætæ longitudinis etiam ex vitro simul utrinque pervio tubum CF, eumque exactissimè suillâ (quâ basim & pariter ostio-lum G obturabis) vesicâ, in Aëris exclusionem in B circumstringe; Tum jubebis, quo ministro utere, supposito

supposito digito collare lagenæ ostium A, obturatum tandem contineat, donec infuso Hydrargyro totam Machinam per apertum ascititij tubi verticem F impleveris; quo demum vertice suillâ quoque membranâ coerito, si digitum subiectum, immersumque, ut antea, restagnanti exterius in D Hydrargyro, retraxerit, Hydrargyri AE miraberis in inferiori tubo cum

exteriori Aëre perpetuum æquilibrium; totus per inclusi C vasculi latera vacuabitur, qui stat superior tubus, redundante Hydrargyro, id ipsum lagenali AE tubo per septem & viginti pollices retinente. Ac si tum acu subtilissimâ vesiculam ostio li G perforaveris, & Aëris non nihil concessisis intus irrepere, is certè cum dilatato intra lage-

H



nam commixtus ejusdem intendit Elaterem, sic ut fortiori jam conamine quaquaversum agat, & subiectum in collo AE Hydrargyrum opprimens, non parum deprimat, & ipsum, quod in interiori C, vasculo restagnat comprimens, in superiore tubum CF, notabili Cylindro cogat ascendere; imo etiam pro Aëris irrepentis augmento, sensim ad septem & viginti pollicum versum F, altitudinem, inferioris tubi Hydrargo penitus detruso, videoas excrescere.

Deorsum in EA, deprimit Aér Hydrargyrum, propter mutatum, ex infuso per G adventitij Aëris aetario, extranei, videlicet Aëris, cum inclusu Hydrargo æquipondium: sursum pellit in CF, quia reparatus virtutis compressoriae nisus, etiam intus quærit æquilibrium.

Ex his quid concludendum (ô Lector?) Aér extraneus æquiponderat interioris Hydrargyri Cylindro AE, Ergo Aér etiam in suâ, ut aiunt, Sphærâ ponderosus.

Aëris partes intra tubum vesiculamque cyprinam, spontaneâ dilatatione distenduntur, Ergo insitus Aëreæ substantiæ ad rarefendum Elater *Spongia Lanæ-ne* naturam imitatur.

Et sic quò densior Aér, ut in montanâ vacuique in vacuo patuit Experienciâ, eò quaqua versum agens majori robustiorique Terraqueam superficiem impedit Elaterc.


EXPERIM. IV.

*Aqua solo pondere Terraquem Orbem comprimit;
Aër non Pondere tantum sed etiam Elatere.*

AD DAM & invincibile, facili Experimento , argumentum.

Esto tubus AB ex vitro cylindraceus , trium ad minus pedum excedens longitudinem , quatuor circiter linearum (si vis) diametro ; extremum B, Hermeticè, hoc est ipsomet vitro exactissimè habeat obturatum , altero A extremo patente ; totum tubum exceptis septem pollicibus CA , infuso .

F III



occupa Hydrargyro; Aquâ residuum, CA videlicet, comple; tûm occlusum digito tubum inverte, tan-diúque sustine, donec Aqua levior, mutatâ cum Hy-drargyro sede, tandem ad alterum extremum B, conscenderit; ei demum Hydrargyro, quod paratum in vasculo D, stagnat, & tubum & simul immersito di-gitum sustinentem; quo quidem digito leviter sub-tracto, ita metallum ex tubo defluet, ut qui reman-surus est intra tubum Hydrargyri Cylindrus AE, supra restagnantis in D, superficiem, non ad vigesimum septimum pollicem, pro more, conquiescat, verùm sex circiter lineis appareat (ob incumbentis & in suâ septem pollicum mensurâ constantissimè persistentis Aquæ gravitatem) diminutus. Nec mirum; ea si quidem est Hydrargyricum Aquâ proportio, ut septem hujuscē pollicibus semipollex circiter illius æquipon-deret.

Hinc liquido patet, solo Aquam pondere, nullo autem Elateris connixu, subiecto velut intra tubum Hydrargyro, sic Terrenæ molis superficie gravem.

At Aëris longè præstantior virtus; nam si iterato Ex-perimento, non Aquâ, sed Aëre residuum septem pollicum spatiū CA, compleveris, hoc est, tubum ab Hydrargyro BC, ad ostium A, per septem polli-ces CA, solo plenum Aëre occluseris digito, post in-versam, mersámque in D Machinam, stupebis Hy-drargyri Cylindrum AE, plusquam septem pollicibus infra vigesimum septimum, decurtatum. Sic ut evi-denter pateat, non tam Pondere, quàm robustissimo Elateris connixu velut subiectum Hydrargyrum, sic & Terraqueum Orbem opprimi ab Aëre.

Hic adertas velim me, cùm intra tubum ad septi-

mum dixi , supra viginti pollices Hydrargyri Cylindrum quiescere, iuxta frequentiores elocutum Experientias ; variat enim quietis terminum in tubo Thermometrum agente, pro diversâ in exteriori Aëre cùm rarefactionis tum condensationis vicissitudine.

CAPVT IX.

*Intensæ in ATTRACTIONIS subsidium
Macbinæ diruuntur.*



EMONSTRATO Experimentis pertinaciam obruentibus , & dubiam subjugantibus fidem ; ut , plusquam in laneo cumulo , intricatarum partium aggestus in Aëre premat , & innatus eidem ad rarefactionem Elater contundat Terraqueum Orbem ; Eorum Machinas , qui ATTRACTIONEM propugnant , examinandas aggredior .

Non Vacui metu , sed æquipondij necessitate in Macbinas Hydraulicas Aquam intrudi , terminatus in ijsdem Aquæ ascensus & Experimenta planum faciunt.

AC primùm quidèm Antliæ munus , quod ipsi præcipuum autumant observandum venit . Putant enim actum de nostrâ sententiâ , nihilque fore quod objici queat , cùm , insigni nomenclaturâ , vi-

talis Antliae titulum Cordi contulere. Sicut enim, inquiunt; exugit Aquam exurgens Embolus, & decidens retundit; ita Cor Diastoles hiatu Sanguinem attrahendo exsorbet, quem in pressurâ Systoles cogit facessere.

Tam vulgaris est Antliarum, quas quidem aspirantes vocant, in Mechanicis mentio, ut earundem nemo munus ignoret, ubi nomen audiverit: Sed ut cunque sit frequens exhauriendis usus liquoribus, non fuit tamen haec tenus, qui verum in tantæ utilitatis instrumento humidæ mobilitatis incitabulum genuinam-ve causam agnoverit.

Arbitrati sunt Inventores, & quot quot deinceps in Hydraulicis versati sunt, trahi Aquam exugique ascensu Emboli, qui dum surgit Aquas excitet, &c, ut sursum ferantur contra deciduae naturæ suffugium, vacui acceleret metu. At rectè sapient nec ne, sequentibus monstro ratiocinijs.


Comprimitur circumquaque Terraqueus Orbis, Aëris non tantum, ut probavimus, Pondere, sed & Elateris eidem innati robustissimo connixu; Ergo ubi Aériarum partium aggestus in subjectas Aquas ager æqualiter, etiam æquum erit earundem superficies æqualis altitudinis libramento æmulas consistere. Quod si Aëris fuerit inæqualis nisus, inæquales quoque necessum est Aquarium superficies evadere: sic ut altius Aqua protuberet, ubi levior Aëris pressura, tandiisque superficiem elevet, donec assurgens Aquæ moles una cum eo, quem sustinet, Aëre, alteri tandem Aëri, qui sit pressuræ gravioris, æquiponderet.

Id & in Situlâ mechanicè te promptum est edoceri.

Habe cylindra-
ceam A, & dimi-
diam ad minus
complexas Aquâ,
tum istuc ingere
cooperculi dis-
cum BCD, cu-
jus & pervium
(hiscente per-
pendiculariter tu-
bo DE, vitro)
sit medicullum
D, & orbile
BCD, ambienti
situlæ mobiliter
contiguum, exu-
beraturi alias li-
quoris eruptio-
nem remoretur;
fanè, si congesto
discum pondere
FF, deorsum op-
presseris, protru-
sum tunc subtus,
undique circum foramen D, elementum , stantem
DE, tubulum ingurgitabit, donec, æmulâ gravitate,
æquipondij scaturiendo punctum G, attigerit.

Et hoc est ascendentis in Antliam Aquæ incita-
mentum.

Antequam Antliæ jam quidem in Aquâ stantis,
injiciatur Embolus tubo , interiore non minus,
quam exteriorem Aquam Elasticum Aëris atterit



Pondus; quo fit, ut & utrinque, hoc est, intra pariter ac extra tubum, Aquæ superficies eadem constant altitudine; Ast ubi coaptatus est Embolus tubo, sursumque extollitur, etiam simul attollit, quam perpendicularem sustinet, Aëris columnam; hinc gravamen intratubum penitus aufertur, actum Aqua, quam acriùs perpetua incumbentis exterius Aëris urget pressura, in facilis tubi truditur refugium; ascensura certè tandiu, donec ad duos circiter supra triginta devenerit pedes, illucque circumfuso Aëri tandem æquiponderet. Neque enim facomatis ratio (siquidem Experientiæ credimus) scatentium sinet undarum superficiem intra tubum, aut Antliam, quantumvis Embolus sublevetur, altius sublimari.

Etiam in Hydrargyro id ipsum mirabere; Hydrargyrum quippe interius, ab ejus, quod in vasculo restagnat, superficie non altiori, quam septem & viginti pollicum Cylindro Antliam, aut tubum occupabit: nimirum is Hydrargyri Cylindriculus cum Aqueâ duorum supra triginta pedum circiter mole æquiponderat.

Supraduos & triginta pedes nihil Aquæ; supraseptem & viginti pollices nihil attollitur Hydrargyri, quantolibet Embolus exantlantis robore sursum versus retrahatur; Ergo nec vacui metus, qui etiam in excelsis Naturæ succurreret, ad sequendum Aquas mobilitat; nec Aëris connixus, qui tantillâ æquiponderantis virtute exhauritur, infinito Terraqueum Orbem opprimit Elatere.

Hincadvertant Aquileges, & quotquot Opificum per intermedij montis superatum verticem Aquas Siphonis ansati beneficio sperant deducere, ne sit mons

mons ejus celsitudinis , quæ duos & triginta pedes supra fontem exuperet , inani alioquin labore operam consumpturi. Idem erit & de Antliarum Aspirantium ; ut vocant , altitudine firmum & stabile judicium ; Mitto cæteras Antlias , ac eas præsertim in quibus Embolus sitularum instar Aquis exhauriendis immergitur , nullum enim in earum tubis ascensû terminum Aqua sublevata nanciscitur , nisi quem virtutis Embolum moventis præscribit robur , sed nec ullum habent cum Vacui metu aut Aëre negotium.

Cum ergo nullatenus in Antliam ATTRACTIÖNIS incitabulo , sed circumfusi Aëris Elastica gravi- tate , Aqua contrusa festinet , non est quod in refel- lendis , quæ Adversarij ex eâ Machinâ inaniter ad sua- dendam Cordis ATTRACTIONEM hauriunt , ar- gumentis diutiùs immoremur.

Folles non aspirant Aërem sed extrinsecus intrusum excipiunt.

Nec felicius sanè Cor in Suctionis sive Attractio- nis probationem follicaverit. Folles Aërem non attrahunt exugúnt-ve , sed intrusum externâ vi co- guntur excipere.

Intra complicati , clausi-ve Follis latebras delites- cens Aër ejusdem est Elateris cum exteriùs circumfu- so ; ac sic immotos utrumque continet æquilibrij quies ; Dum Follem distendis , etiam tum interior Aër (ut in cyprinâ vesiculâ planum fuit) spontaneo , pro- indéque debiliori dilatatu raresceret , nisi exterioris fortior virtus propiorem infundibulo extrinsecus Aë- rem , aut & liquidum quodvis intùs ad æquilibrium im- pelleret.

Aëriæ dilatationis robur à proprio languet Elatere, ab externâ Causâ firmatur.

NEQUE mihi feliciori quis Cucurbitularum aut Æolipilarum Attractionem ex eo, quem Ignis procurat, effectu eloquentiâ persuaserit; Utque facilius, quâm meritò repugnem, intelligas, excipe meam circa Caloris negotium mentem.

Aërem certè vel minimus, ut nemini dubium est, Calor dilatat; sed eo cum dilatatione, quâ sponte non nunquam extenditur, discrimine, quod Spontanea dilatatio virtutis Elasticæ robur enervet, ut Vacui in Vacuo, cyprinæque vesiculæ Experimenta demonstrant; altera verò, quæ Aëri extranca est, à Caloris videlicet accessu, firmet, & crescens augeat, languescensque sensim deprehendatur remittere.

Aëris non tantum, sed & Aquæ molem accessu Caloris extendi, Thermometrum ostendit.

IT A impacta superiori Thermometri ampullæ manus aut pruna contentam deprimit Aquam; insigni sanè argumento, dilatum intus Aërem, exterioris, quem Aqueo cedere descensui cogit, robori præcellere.


Nec suos duntaxat fines Caloris incentivo producit Aër; etiam Aquæ moles extenditur. Id expertu facile si pendulam medio Thermometri caule placeat Aquæ particulam C, sustinentis Aëris in infimam sedem reprimere; nam admotus Ignis superiori lagunculæ A, non inclusam C, solummodo deorsum adigit

Aquam, sed & eandem, sive quem dilatat Aërem A, in descendenter C, Aquam immerget, sive descendenter partes Aëreas ad rarefactionem excitet, ad tertium usque putà gradum, quæ vix geminos occupabat, cogit excrescere.

Suspendendæ in C, Aquæ legem non præscribo; sapientius enim casu pendulam, & ab Aquâ in vase B subsidente non parum diffitam inveni, quam adhibitâ industria meç diligentia potuerim efficere.

Refluit Aqua sursum refrigerante Aëre in A, hujus nimirum Elastica virtus, ut Caloris æmulatur incrementa, sic ejusdem etiam deficientis Observatrices.

F V



*Quomodo in Cucurbitulam Caro & Sanguis
intrudantur.*

ECUCURBITULÂ Ignis accensus maximam rarefacti
Aëris partem exterminat; ac deinde Cucurbitu-
lâ, in externi Aëris interdictum appressâ validè cuti
(ob inhibitum fortè spiritibus igneis impediente vi-
tro motum)extinguitur; relanguescit proindè Calor,
quem Igneorum spiritum motus sustentabat; frigescit
demùm intra Cucurbitulam Aér, & debilitatâ,
quam Calor excitaverat, virtute flaccidus exterioris
robore superatur; qui denique Aér exterior quaqua-
versum æqualiter Corpus, præterquam inclusum sub
Cucurbitulâ spatium, comprimens, eò (ceu liquores
in Antlias) carnem intrudit & Sanguinem.

Adde partes Aëreas, quæ porosi Corporis latebras
occupant, nec minùs excubanti ad dilatationem,
quàm externæ vigilant Elatere, obsequiosam Carnem
& Sanguinem in tumorem propellere. Nam, dum
inclusus Cucurbitulæ cœperit Aér refrigerescere, ac per
hoc ejusdem imminui connixus, tum levatus grava-
mine, qui Carnium poris exerrat Aér, Cutem in tu-
berculum spontaneo erigit Elatere.

At nix, inquiunt nonnulli, aut frigidum quodlibet
impactum Cucurbitulæ ejuscum Carne rumpit com-
merciū; & contrà superimpositum, ut assolent Chirurgi,
calidius linteum Attractionem Concitat, &
proinde Aëris intra Cucurbitulam inclusi Elastica
virtus frigore non hebescit.

Verùm, nescio quo id objiciunt animo, quod ad-
versari penitus Experienciaz non semel deprehendi.

Frigidam enim, imo & nivem applicitæ carni Cucurbitulæ sæpiùs imposui, sed tantâ celeritate interior Aër densatus est, ut in tuberculum caro non sine dolore gravissimo statim excreverit; Ast ubi linteo præcalido Cucurbitulam obtexi; mox & remissus dolore est, & tumor imminutus. Non igitur mirum Chirurgos, ne dolorem videlicet vehementiorem concitent, aut nimium in tumorem elevent Carnein aut etiam abundantiori copiâ Sanguinem eliciant, ejusmodi linteum Cucurbitulis super-injicere.

Nec me vivis solùm Corporibus existimes, sed & Cadaveribus eodem successu, imò etiam liquoribus ipsis Cucurbitulam applicuisse. Et verò imponatur Aquæ æstuans igneo fervore Cucurbitula, mirabere prorsùs vel extincto Igne, vel tepefacto calore surrepentem intùs Aquæ molem; Et si tum imbutum frigido quovis liquore linteum, aut nivem ipsam Glaciém-ve applicueris Cucurbitulæ, contracto rutsus interiori Aere, ac per hoc ejus Elatere debilitato, abundantior Aquæ vis in Cucurbitulam intrudetur.

Quomodo in Æolipilam calefactam Aqua impellatur.

SIc & circumfuso incendio plurimùm exhalant, quem continent, Aërem Æolipilæ; tumque per immersum caudæ canaliculum, prout refrigerescit residuus intùs Aër, etiam Elateris relanguescente vi, superans exterior Aër, Aquam celerat in Machinam; nec parum, ut ex frementis evidens strepitu, impetuose.

Atque hinc etiam corruit *Attractorie* sententiæ

Alij Aëris ex Æolipilâ eliciendi proponuntur et explicantur modi.

EST & alius, *exugendo videlicet*, replendarum Æolipilarum modus; validum sanè adversus Impulsionem nostram argumentum, siquidem ratum foret, quod hactenus omnes arbitrati sunt, Aërem, *cum fugimus, retrò versùs ad fauces trahi*. Lubet idē reconditum eventilare mysterium.

Æolipilæ caudam in ore tuo include ut contentus utrobius Aér in oris contubernio continuaus fiat; sanè quandiu nec Lingua movebitur, nec dilatabitur Pectus, & utrinque pariter (intra os nimirum & Æolipilam) Aér in quiete, æquilibrij lege perseveratus est. Sed ubi vel Linguæ, vel Pectoris succedet motus, etiam utrūque necessum est Aërem commoveri; & quoniam alterutro saltem motu vacuatur Æolipila, quānam id ratione perficiatur, placet disquirere.

Vel solis utere Pulmonibus, Pectoris-ve follicantis dilatatione, vel solo Linguæ fugentis, ut putant, ad Palatum allisu;

Priori quidem modo totum Pectus distenditur, nullâ interim per compressa labra, sicut nec per narrium spiracula exterioris cùm ori, tūm Æolipilæ, Aëris aurâ irrumpente. Distentum Pectus etiam Aëri; quem Æolipili contiguum oris includit specus, sedem præparat ampliorem. Aér dato spatio versùm Pectus extendit se, & ob id ejus evadit Elater debilior Æolipili; quod ut hic (inclusus scilicet Æoli-

pilæ) persentiscit, nulliusque se tum reprimi connixu, rarefit, & extra Æolipilam, prout sinit debilioris virtus, propagat fines suos.

Posteriori verò modo, affligitur compactius, unà cum Æolipilæ canaliculo, tota lingua toti palato; tum ad ostium canaliculi sidens obsequiosæ linguæ meditullum, palatum deserit, & in lacunam asperiori nixu excavatur; sic ut ex eâ vi obnoxium Æolipilari Aëri spatum, non vacuum quidem sed plenum Aërculo, qui cavernosas inter Linguae, palatique cuticulas remanserat, ejusdem, *Æolipilaris inquam Aëris*, ad dilatationem Elaterem solicitet, & foras (hoc est ex Æolipilâ intra oris lacunam) spontaneum alliciat, invitét-ve; non verò, ut adversarij putant, Attrahendo cogat erumpere.

Cum ex Æolipilâ, quantum licuit utrolibet modo, Aëris effluxerit, per immersam subito Aquis caudam in Machinam Aqua externi Aëris, qui tum densior est interiori, tandiu pressurâ confluet, donec æquis intùs forisque viribus æquilibrium utrique afferat quietem.

Eodem pacto quondam lactatus es; eodem & dolia sèpiùs pueri furtivo festucæ bibacis intinètu rimantur; etiam eodem Siphonem liquoribus ingurgitant; exterioris nimirum Aëris pondere, connixúque liquorum concitantibus pro gutturis, Oris-ve dilatatione, profluviuim.

Atque ita dirutis, quas præcipuas in ATTRACTIONIS stabilimen adversarij Machinas intendebant, non est quod diutiùs in supervacaneis immoremur.

CAPVT X.

Verae Sanguinei motū Causæ aperiuntur.

 R e o demonstrato, quām leve sit ad Sanguinis incitamentum innatæ gravitatis Pondus, & observato, Experimentorum evidentiâ, solam huic effectui minimè Systolen Cordis sufficere, præcisisque penitus, ut patuit, Dia stolicæ ATTRACTI O N I S adminiculis, superest, ut Vasorum Constrictionem, & eorumdem à vicinarum partium agitatione Compressionem expendamus.

Certum est Vasa Spontaneâ Contractione, vel violentâ coarctari.

Spontaneam voco, quâ turgidiorem plenitudinem ultrò deponunt.

Violentam verò, quam extranea pariat causa. Spontaneam autem sic ostendo.

De Spontaneâ Vasorum Contractione.

Nemini, puto, dubium est, è Cordis Ventricu lis in Arterias, vi quâdam Systolici seu compressoriij motū, urgeri Sanguinem, atque influere; ac si gūm nullis intermittatur objectaculis fluoris impetus, posse vel ad ipsum usque Cor solius compressionis nixu Sanguinem refugere.

Verūm (ô Lector) memineris impulsu m in Arterias
Sanguinem,

Sanguinem, etiam continuitatis nomine Venosum ita contrudere, uti tamen nihil è Venis in Cor refluat ante absolutam penitus Systoles actionem, & Diastro-les initium; & ob id Arterias non solum sed & ipsas Venas in extremo Systoles momento duplii Sangui-nis, veteris scilicet & adventitij copiâ turgescere.

Intensior tum, ob Sanguinis (durante Systolâ) mo-ram, vasorum tunica innatum excitat ad naturalis ca-pacitatis modum Elaterem, ut, statim atque Triglo-chinon, obstatulum succedente Diastole desierit, ex-cubantem virtutem oxyas promat, & in patulos re-laxati Cordis vacuósque sinus Compressum Sangui-nem cogat irrumperem.

Atque hinc patet spontanea Vasorum Contractio. Sequitur violenta.

D E Violentâ Vasorum Contraktione.

HAnc autem excitant, vel humoris acrioris as-pe-ritas, sic Intestinorum membranas Bilis acrior in rugas coangustat; vel punctio continuive quâlibet ex causâ solutio; sic, cùm aliquando Duodenum ape-ruisse prælongo vulnere, fluentem è Pancreatico Virsungi, quod hoc Intestinum intrat, vasculo, li-quorem observaturus, ita se se Intestinum corrugavit, ut, & ad medias contraxerit vulnus, & restricto Vir-sungici canalis ostiolo, Aquei, qui scaturiebat inde, humoris effluxum prorsus compescuerit. Atque idem esto, ut de Intestinis, etiam de reliquis vasibus, mem-branosisque corporibus judicium.

Potest & vinculorum ope Vasorum ejusmodi Con-tractio concitari, nimirum ligaminum angustijs comi-

tes doloris aculei vicinas undique partes in ægrarum subsidium solicitant ; dumque illæ concurrunt in obsequiosi Sanguinis , quò Valvulæ sinunt , exterminium , Vasa corrugantur.

Hinc in Venis à filo festinat ad Cor Sanguis ; in Arterijs ad extrema , Valvulis concedentibus , quarum quidem aliò versus obstacula regressibus interdicunt.

De Vasorum Compressione.

Quod ad Compressionem vasorum coarctatoriam spectat , eandem perfici dico & aspirati intra Pulmonem Aëris pressurâ , & adjacentium canalibus muscularum , dum agitantur , connixu. Sic motus vehementior & pulsum celerat , & frequentiorem ciet anhelitum. Sic & inhorrescens , ex ingravescenti frigore , palpitantium in Animali moritidente partium tumultus Arterias Venis turgentibus evacuat.

ERGO triplici pronuntio Sanguinem incitabulo circumvolvi , Systoles videlicet Impulsione , Vasorum seu spontaneâ seu violentâ Contractione ; atque , ab adjacentium connixu partium , vasorum eorundem Compressione ; Tribus invicem ita dispositis , ut aliqua semper aliarum defectus , et si lentiusculè quidem , officij perseverantiâ compenset . Cor dum vibrat , in Arterias , & in venas inde Sanguinem trudit ; ligatam forte Arteriam ejusdem tunicae Contractio trans-vinculum vacuat ; huic accedit effectui vicinarum partium Compressio . Ligatae venæ trans-vinculum seu ab extremis ad ligamen tumor ex continuo Sanguinis , quem Arteriæ vinculo solutæ fundunt , intenditur motu ; cis vinculum , hoc est versus Cor , evacua-

tio, tunicæ Contractione, & partum vicinarum pressurâ peragitur.

Atque ita Sanguis in Arterias à Corde exprimitur; ex Arterijs elutriatur partim per Synanastomoseis, partim in carnes effunditur, & inde recollectus intra Venas in Cor iterum redit, tam necessario vitae Circulo, ut vel tantillum inturbatum aut Lipothyenia, aut Syncope, aut etiam non raro mors consequatur.

CAPVT XI.

DE CHYLI MOTV.

*Etiam in Lacteas Chylum intrudi, pellique versum
Cor, non exugi ostenditur.*



X P E D I T O Sanguinis motu, facile poterit & quo devolvitur Chylus, demonstrari.

Norunt omnes ex alimentis, ab eorumdem coctore Ventriculo in Intestina deciduis, exprimi Chylum; & per apertos à Naturâ porulos trans Intestinorum tunicas in Lactearum canaliculos secedere. Sed cribrum imitantur an Spongiam pervia Intestina, duplex, *qua propria quidem est*, eorum tunica non denotat alterutrum, sed utrumque. Tenui fibrarum exilissimarum stamine tunicam extimam argumentosè instar incerniculi Natura contexuit, cui provida illitu mirabili agglutinavit interius rugosum,

aut Spongiosum, si mavis, mollissimæ substantiæ peristroma; ut & alimentorum innoxia transeat asperitas, & qui subtilior succus est, ex fæcibus in Læteas Venas transcoletur.

Chylosam semitam Experimenta superius ostendunt; nunc, pellatur Chylus, an trahatur, vestigandum.

Quod Chylus non trahatur.

Non trahitur Chylus, fugiturve; nam, sive liges in Mesenterio Læteas, sive intra Thoracis caveam easdem innodaveris, trans-vinculum, hoc est Intestina versùs, tumescentes Attractoriam Suctoriāmque sententiam suffocabunt.

Nec Læteas, dixeris, Hirudinum instar exugendo Chylum attrahere. Non enim attrahunt Sanguinem Hirudines; nec ipsum aliter eliciunt quam nos cùm immissâ in fontem aut dolium stipulâ, tûm oris, tûm Pulmonum distensione liquorem educimus; pungunt enim cutaneas venas Hirudines, & dum follicantis quasi Pulmonis operâ turgescunt in ipsarum dilatatu facilem Ventriculum Sanguis immittitur. Ergo propellitur Chylus in Læteas venas, verum an Intestinorum actione propriâ, an virtute ijsdem extrancâ venit inquirendum.

De Intestinorum Contractione.

CVm è Ventriculo Chymus, seu succus è cibis elixus in Intestina delabitur ipsa tumefacit, & obsequiosas instar Elateris eorum intendit fibras, sic ut

aucto per intensionem vigore ad naturalem ultrò statum redeuntes, Intestina successivè à Ventriculo ad anum Chymi depressu coangustent. Atque hinc, concludo, Intestinis est velut & cæteris corporibus membranosis Contractio propria, Dilatatio verò extranea.

Præter ejusmodi Contractionem advertenda Spongiosæ, quæ interior est, membranæ dilatatio corrugatióque, ea enim tunica délapsi è Ventriculo Chymi fluidiorem succum exhauiens veluti spongia turgescit, at cum adjacentium, putà, Compressione partium, aut aliâ de causâ corrugatur, partim intus revomit Chylum partim exprimit in Læteas venas.

Advertendum insuper eam Intestinorum Contractionem & interioris membranæ corrugationem, extraneæ dilatationi succidere, nihilque aut parum conferre impellendo in Læteas Chylo, imò potius ingressuro plurimum obstare. Intestinum enim quo Contractius è densius poros, & extremas proinde Lactearum obstat aperturas, minúsque pervium inclusis concedit effugium liquoribus. Hoc & in violentâ vasorum Contractione jam suprà notatum est, & facilis Experientia perhibet, cùm in cæteris membranosis, tum maximè in Vesicâ recens avulsâ corpore. Contrahitur illa quidem effluente lotio, nectum vel acu circumquaque lacinata ullam Vrinam per acūs effundet foramina, nisi adhibitâ violentiâ ad liquoris expressionem comprimatur.

Ita Peristalticus, si quis admitti debeat, neque enim uspiam à nobis in Animantibus vivis deprehensus est, Intestinorum motus, quia tunicas eorundem successivè contrahit, occlusis corrugatione meatibus, im-

par est intrudendo Laetoris Chylo , ni forte & alterum ei dilatationis motum adjunxeris, quo dum superiorem Intestinorum corrugat partem inferiorem simul distendat, quæ cibis ingurgitata ampliorem in Lacteas possit Chylum transfundere.

Sed cum ista dilatatio, quæ ex Chymo deciduo producitur, exiguae sit virtutis & vix eos , quibus intruditur Chylus aperiat porulos; ad vehementiorem Intestinorum Compressionem sanè deveniendum est.

De Intestinorum Compressione.

HVJUS duplarem in primis invenio causam, Respirationem scilicet, & in Abdomine, Thoracique muscularum Contractionem, qualem præsertim excitat excernendorum ex Intestinis retrimentorum, vel exonerandæ Vesicæ, vel forsitan & felleæ Cystidis vacuandæ necessitas. Tunc enim interclusus Pulmonibus, quem aspiraverunt, Aër, & vehemens tororum enixus non parùm viscera comprimunt ; sic ut eo putem motu è Ventriculo exprimi Chymum in Intestina, & ex Intestinis Chylum seu candicantem succum in Lacteas venas irrumperet.

Mitto Contractionem illam atque distensionem, quâ musculi Respirationis operâ continuato motu agitantur, non sic enim viscera comprimunt, ut ex Intestinis Chylum valeant exprimere. Mitto & Arteriarum circum Intestina micantium vibrationem; nam quiescentibus post ligatam Cæliacam Arterijs, nihil minus Lacteas irrepens Chylus tumefacit. Super est igitur ut ad vehementem muscularum contractionem , vel ad continuam expirandi nec non af-

pirandi vicissitudinem confugiamus.

Verum quia perpetuus Chyli, quandiu quidem alimenta suppetunt, transitus jugem pariter compressionis postulat causam, qualem ineptum in musculorum contractione propemodum momentaneâ quærere; ad Respirationis demum vices, meo quidem iudicio, recurrentum.

DE RESPIRATIONE.

Quâ fiat Respiratio, & quid ad Chyli motum conferat exponitur, Pulmonum non esse perviam tunicam Experimentis innotescit.

Fit autem Respiratio (quod ignotum nemini) alterno Pulmonum & Aëris Elatere; sic ut dilatazione Aëris, quem exceptum calore rarefaciunt, Pulmones & simul Respirationis musculi distendantur, ac eorum deinde contractione spontaneâ ipse foras Aér cogatur erumpere.

Pulmonum autem in aspiratione distentio, quam hiscentia Thoracis vulnera manifestant, argumentum est imperviæ prorsùs eorum tunicæ. Et verò compactior est illa, nec unquam Aéri, quâlibet respirandi vi, concessura transfugiendi facultatem.

Fiet dictis etiam Experimento fides, si vivæ (dum dissecas) Animantis insinuatâ Bronchijs inspires avenâ; nam quidquid nitare, nullus admotæ lucernæ flamمام Aér, nisi quâ tunicam libaveris agitabit.

Hic notandum venit hallucinari sæpiùs Chirurgos in confossi Thoracis vulneribus; his quidem adhibent

illi proximam accensæ facis flammam, & ex ejus motu, quem admissus, refluendo foras spiritus procurat, læsum Pulmonem perperam inferunt. Quod si remurmurent; ergo & in Empyicis operationibus audient ex simili flammæ mobilitate ruptum Pulmonem concludere.

Nec porosam duxeris Pulmonum tunicam ex sanie Pleuritidis per screationem nonnunquam, aut Vrinas effluente. Nam, ut exacte Riolanus noster *Encheir. l. 3. c. 4.* non nisi ruptâ Pleurâ excoriatisque Pulmonibus ejusmodi fit effluxus; nimirum si vel ante Pleuritidem costis adhæserant, vel dum incipit effervesce Phlegmone, Pleuræ compacti Pulmones cum propter resudans viscosi liquoris ex Plegmone ardore glutinum, tum propter motûs, ex doloris & tumoris impedimento, exiguitatem coagmentantur. Tunc enim Phlegmone ad utriusque membranæ contactum, in ulcus tabescente utramque simul inficit putredine, Quo fit, ut in Pulmonem irruens sanies vel per Bronchia egeratur in sputa, vel per Arteriam venosam in Sinistrum Cordis Ventriculum indéque secedens in Aortam per Renes ut plurimum ad Vrinarum confortium devolvatur.

Quid si non fiat, inquies, membranarum contiguitas, rumpatur nihilominus Pleura, num in Thoracis fundo sanies remansurâ? remansura prorsus, & ad perniciem, nisi promptâ Empyematis aperturâ purulentæ sarcinæ exterminium indicatur.

Sed ad Respirationem redeo, in quâ dum Pulmones dilatantur etiam deorsum Diaphragma premunt, Iecürque, quod tum pistillum agens succutientis per intervalla molis gravamine, non solum adigit Chymum.

num è Ventriculo per Pylorum in Intestina secedere, sed & eorundem distendit porulos, illacque subtilissimam impellit in Lacteas alimenti substantiam. Sic pueri plenum Aquâ circumvolvunt digitis exuvium Anguillæ; pérque foraminula, subtilissimâ acu eidem impressa circumquaque, Aquam, dum premunt, in tenuissimas scaturigines ejaculatione ludicrâ solent diffundere.

At quoniam ad Diaphragmatis depressionem sermo devolutus est, hic abs re non erit quidquid à nobis circa motum ejus deprehensum est explanare.

De motu Diaphragmatis.

DVm Aërem aspirant Pulmones, sensim tumefiendo ad eam Diaphragmatis, quâ dorso subtenditur medietatem descendentes, hujus (videlicet medietatis) fibras in peripheria quidem carneas, in Centro autem membranosas deorsum adigunt & penduli subtus cum Hepate Ventriculi subsultu comprimunt inferiora; at verò medietas altera, quâ tum Sterno tum etiam extremis notharum Costarum Cartilaginibus Diaphragma subjicitur, & nervosas Centri fibras explicat, & circumferentiæ carneas unâ cum anteriori Pectoris regione, sursum versus obliquè sublevat; sic ut dum Diaphragmatis posteriores partes deprimuntur, eodem ferè momento, vehementi fanè contentione attollantur anteriores.

Nec ad motum ejusmodi, quos & in Pectore & in Abdomine nuncupant Respirationis musculos, quidpiam conferre duxeris; ijs enim penitus exscissis, ut dùm (salvis tamen intercostalibus & Diaphragmate) deteguntur sterni cartilaginiæ, & inferioris alvi spe-

cus aperitur , nihil minus respirat Animal , quam si nullo foret laxa vulnere ipsorum sarcina musculorum.

Atque hi sunt , quos in Aspiratione motus comprehendendi , in Expiratione verò & Diaphragmatis anteriora simul cum sterno decidunt , & ascendunt certè unà cum Iecinore Ventriculóque suspensis posteriora ; ac tūm Diaphragma fibris & in Centro nervoso & in peripheriâ carneâ relaxatis corrugatur.

Antequam his de Diaphragmate sermonibus finem imponam id unum advertas velim , Diaphragmatis supra lumbos carneas productiones velut appendices sub Chyli RECEPTACULO delitescere , sic ut distendi nequeant , quin & ipsum pariter RECEPΤАСVLO distendentes , quem continet Chylum adigant emittere , & Hæc de Diaphragmate sat : adversus sententiam nostram quâ Respirationem dicimus Chyli in Lacteas incitabulum , dissolvamus objectiones.

*Adversus Respirationem Objectiones
dissolvuntur.*

Quidni ergo , inquies , cæca alioquin Respiration cum coctis indigesta , & cum puris in Lacteas soleat fæcutina contrudere ? Nisi mihi constitutum foret (ô Lector) ex vulgaribus sententijs eam duntaxat Sapientiam admittere , cui suffragetur Experienciarum testimonium ; Responderem ; Cùm non immediatè Chylum è Ventriculo Lacteæ , quas ille nullas habet , excipiant , coctionem illic esse prius quam defluat , absolutam ; & ob id quidquid volvitur Intestinis ex-

primendo paratissimum Chylo nullâ indigestæ substantiæ mixturâ posse recrudeescere.

Verùm quoniam è Ventriculo non pauca sæpè vel ad anum, vel ad Vesicam proruuntante requisitæ coctionis complementum, nec à Ventriculo patet alia, præterquam Lactearum ad Vesicam via, fateri cogor & ipse non rarò fieri crudorum è Ventriculo lapsum.

Et verò statim post absorptum immodicè merum potulentus meijt, nec, quam fundit Vrinam lympidissimam ulla tintura, sapórve consequitur. Et hinc argumentor per Sanguinis massam, unde quidpiam utriusque contraxisset, nullatenus diffluxisse. Brevisima quoque ex Mineralibus intra corpus Vrinarum mora. Asparagorum, intra medium postassumptos horæ quadrantem, lotium odorem refert, colorémque. Etiam qui ex Opopunciæ, seu ficûs Indicæ fructu exprimitur succus, purpureas ciet Vrinas.

Ergo, inquam, ante coctionis complementum ad Vesicam ejusmodi liquores, concedente, puto, vel ob urgentem nimium plenitudinem, vel aperientem diuretici fortè liquoris vim, vel quidpiam aliud Pyloro, per Chylosam semitam festinarunt.

Nec mihi tu breve Vas objeceris, sic ut ejus postico faceant in Lienem ista superflua, indéque per Iecur effusa colligantur iterùm, ut in Cor ascendant; ac in Arterias deinde contrusa, tandem per Emulgentes in Renes præcipitent; Nam & temporis angustia circuitui tanto non competit, & ipsa per tot errores, humorūmque mixturam tingerentur non tantùm, verùm & contra quotidianam Experientiam acuerentur falsagine.

Quod si suspiceris è Ventriculo versùs Renes in-

sensiles meatus , patere sodes (ô Lector) non credi
tandiu meatus ejusmodi, donec adultâ magnitudine
oculorum aciem desinant effugere.

Existimem ergo potius per Pylorum eos è Ventri-
culo liquores effluere , & ex Intestinis per Laetearia in
detectum à nobis sub Mesenterio Chyli R E C E P T A-
C V L V M trudi ; Atque illinc partim per Chylosam
Thoracis semitam in Cor Sanguinis officinam con-
fluere ; partim à Chylo separatos in adjacentes hinc
& inde Renes , vel per Emulgentium Arteriarum ad-
hærescentem firmiter Chyli R E C E P T A C V L O trun-
cum , qui & ob id fortassis illac foris intus pervius est,
& instar incerniculi transcolando sero idoneus ; vel si
mavis Attrabilarium , quæ adjacent , Capsularum ; vel
Peritonæi , cujus ob partium viciniam non parum de-
vehendis obnoxia duplicatura liquoribus , ministerio
divertere.

Certè nulla commodior , mihi quidem , ostenditur
viarebus , quæ sæpiùs absque coctione non solùm ,
sed ne vel concepto calore , Ventriculo defluunt ,
excernendis.

Ita , dùm Aër ferventiùs æstuat , immodicus frigidæ
potus alvum relaxat ; eadem vis & lacti Asinino , ut
& Aquis mineralibus . Vinacea , baccarum folliculi ,
similiūmque fructuum , seminūmve , sicut & legu-
minum involucra , quidquid interfuerint coctionis
æstibus , nihilominùs cruda etiamnum egeruntur :
Quantomagis ante coctionem ea defluent è Ventri-
culo , quibus est aperiens virtus & laxativa ; & hinc
est , quod egestis deorsum , quæ pota sunt , remedij
& sapor & odor aliquando cum colore perseveret .

Objicies rursum , etiam dissipato Pulmonum spiritu ,

extinctaque prorsus Respirandi vi , Chylum in Lacteas irreperere ; sic ut aperto viventis Animalis Pectore , flaccidisque Pulmonibus, ligatae in Mesenterio Lacteae nihil minus ad aliquod tempus intumescent.

Gravissimum sanè adversum sententiam nostram argumentum ; Pro cuius dissolutione velim animadveritas , quod saepius ipse sum expertus , ligatas in Mesenterio Lacteas solum turgescere , cum Animal illæso Pectore totam in infimo Ventre Viscerum sarcinam unâ cum musculis totius Corporis vehementer adhuc exagitat ; nam , cum , aperto Pectore , motus Animalis extictus est , desinunt prorsus Lacteae turgescere ; ni forte spongiosa Intestinorum membrana ob Aërem frigidorem , aut doloris aculeos sese contrahens , residui , quem antea collegerat , Chyli nonnihil in easdem Lacteas expresserit.

Ergo RESPIRATIO Chylum in Lacteas (concludo) reliquis *Contractione* videlicet *Compressione* que opem fermentibus intrudit. Hæc vicinarum connixu partium , inclusum tum Intestinis , tum etiam Lacteis Chylum concitat ; Illa verò ita Canalium plenitudini infesta est , vt nec in Mesenterio , nec in Thorace Lactearum post mortem ulla sinat , Nec RECEPTA CVLI supra Lumborum vertebrae confici vestigia.

Atque hæc sunt , quæ de Sanguinis Chylique motibus , nec non eorum incitabulo venerant promulganda. Super est (ô Lector) tuam , Iecinoris ergo , cui Sanguinci artificij munus eripui , querelam secundem.

C A P V T XII.

De Transcolatorio Iecinoris usu.

Poster ablatam Hepati , quam immerito per tot usurpatam sæcula retinuit, *aimatō-
τεως* gloriam; æquum & eidem id assignare, cui creatum est, in primæ, ut aiunt, regio-
nis officinâ , munus & verum ipsius officium dete-
gere.

Præter eam , quâ fungitur, ut suprà dictum est , vi-
cem pistilli subjectas in infimo Ventre partes, Respi-
rationis motu , percutientis , Hepar ingenti , quod
accipit à Portâ , Sanguinis profluvio calorem in ci-
borum elixationem Ventriculo subministrat ; & San-
guinem ipsum idoneo transcolat Parenchymate, út-
que Renes eundem fero repurgant, & Lien aciditate
Vendicat , sic Hepar admixta Bilis expedit con-
fortio.

Nam , si nullus è Substantiæ Chylosæ scatex per-
tingat ; nec ullam proinde Iecur in Sanguinem put-
purisset alimoniam , solùsque Portæ (quæ nec etiam,
ut demonstratum est , Chylum quâpiam excipit)
truncus ipsum crux, quo redundat , ingurgitet ; nec
sapienter profecto quis (si quid & ipse sapiam) Bilem
secundæ coctionis reputaverit excrementum, nec alio
duxerit instrumento separabilem.

Et verò nullibi per uniuersas Animalium species ab-
sque Bilis mixturâ Sanguinem reperias ; flavescens id

serum, falsumque testatur; nisi forsitan aliquot in suppositis quibus dulcem mitior Natura Sanguinem concoxit: sicut & in alijs, quibus aciditatis expertem infudit, aut nullo penitus Liene instruxit aut sanè perexiguo.

Iugis ille, qui Cor fovet, & Sanguinis massam calefacit ardor, quidquid seri tenuius est, in vapores excutit, & identidem reliquum concoquens in Bilem omnino (quam per crebram dulcis à salso clixationem expressionémque voco residuam progeniem) converteret, nisi naturæ providentia in amari excrementi, seu potius salis nimiâ incrassati coctione purgamentum, idoneo corpus instruxisset emunctorio.

Atque ut Tinctores assolent ijsdem colorum notis, circa quos operantur, manus inficere, sic & Biliosum viscus Hepar, pro variâ Bilis tinctorâ aut in flavum rutilat, aut in subcinericum languescit, aut in viridem appetet nonnunquam, fuscum-ve colorem, et si rubeat apprimè Sanguis nigrescere.

Hinc in Fœtu, in quo nullus unquam generatur Chylus; circa formationis initia croceum Hepar jam Cystidem habet & Bile turgidam purpureo alioquin Sanguine: evidentissimo sanè arguento Bilem esse, non secundæ quidem, ut aiunt, coctionis; at Sanguinis, qui solus in Fœtūs transmittitur Hepar, excrementum.

Nec forsitan fervidus jam in matre Sanguis, & per uterinum in vulva colatus, Iecur, tam purus exerraret Embryonis Venis, nisi maximam ejus in Iecore, quò primùm per coēuntes Vmbilicalis Venæ canales fluit, soleret suæ Bilis partem deponere.

Et hoc, ut puto, præcipuum est Iecinoris in Animalibus officium.

Solvuntur Objectiones.

ITane verò totum, inquies, per Cæliacæ diverticulum Bile Sanguinem exhauries? Antequam (ô Lector) quæ sentio proferam in responsum, ipse vicissim tuam hîc sapientiam interrogabo; Quânam Machinâ, dic sodes, qui Sanguis Iliacas eodem, quo & Emulgentes tempore subit Arterias, serum Renibus effundit? Ob id proculdubio Naturæ sagacitas Circularis Sanguini motûs imposuit necessitatem, ut per varias periodos vniuersus tandem Sanguis in eadem possit hospitia successisse.

Postulas rursùm; quó-nam pacto peragatur ejusmodi transcolatio; & quî fiat, ut pervia Bili demeacula serum excludant & Sanguinem, nec Bili vicissim pateant, quæ serum solent admittere? an quod Bile sit serum subtilius? aut vice versa?

Tanti me, fateor, latet penitus causa miraculi, si figurarum, quæ transcolatis in sunt corporibus, & coli aperturis diversitatem renueris in suffeâturam rationem admittere. Frustra quidem circulari foraminis triangulum æqualis cum illius diametro altitudinis, ut & triangulari quadratum, aut aliud ejusmodi Polygonum niteris intrudere: Atqui facile mihi persuaderi sinam, non eandem Aqueis inesse partibus, quæ Biliosis figurarum speciem; Bilémque propterea (saltem quæ crassior est) Renum imparem meatibus, cōnon posse divertere; sicut nec densius serum ijsdem incommodis in eam, quæ Bili peculiaris obtigit, penetrare provinciam.

Sint autem nec ne, Bilis etiam in minutissimis quibusque

busque (si perconteris) aut Aquarium particulis figuræ.

Respondeo Primùm , Aquam esse non porosum duntaxat corpus , sed varijs etiam pororum figuris cavernosum. Hoc mirâ doctissimus Gassendus sagacitate demonstravit. Frustra autem frigurarum astruetur in Aqueis poris diversitas , quam in ijs , quibus constat Aqua partibus , renuas admittere. Esse verò poris Aqueis figurarum diversitatem nobili probavit Gassendus Experimento.

In fontanam Aquam; salis vulgaris mensuram abjecit , hujus brevi certam Aqua tantummodò partem in sui salituram, integrâ residuâ, diluit. In eandem iterum Aquam infusi nitri pars simili mixturâ colligata est , pars restitit indissoluta. Tertiò rursus eodem dispendio partim alumnen resolutum est , partim intactum perseveravit. Quartò sal Ammoniacus parem , ut & alij, quos sigillatim immiscuit Aquæ, fortunam expertus est.

Potes etiam , ut quidem reor , liquidi fali ex eâ, quam Stygiam seu fortem vulgo nuncupant , Aquâ, & dissolutorijs in eâdem Metallorum modis figuræ exprimere.

Hæc Aqua fortis duplicis naturæ ; Communis altera Metallorum (excepto solari) quodlibet liquat ; altera Regia etiam corundem regem in pulverem evoluta , Argento nihilominus, illibatâ perseverantis figuræ constantiâ, tantæ prærogativæ superbiam irridente.

Communis autem materies est Vitrioli , simûlque Nitri , salisque marini Spiritus. *Hæc evadet Regia* si quantam potest Ammoniaci salis mixturam dissolve-

rit. Nequit autem, ut arbitror, in Aurum impressio-
nem *Communis* facere, quia tam exactè congruunt
Aureis poris ejusmodi spirituum figurata corpuscula,
ut interdicto intra Metallum motu conquiescant.
Cætera dissoluit vel Igne, vel, quod Metallis inest,
Sulphure, diversas Metallicorum pororum cavitates,
figurarum acuminibus, dum congruorum admitti
consortio contendunt, arrodente; penè dixi arietan-
te. At quoniam hisce commixtus salibus Ammoniacus,
Argenteis quidem, sed Aureis nullatenus congruit
poris, Argenteos primus occupat; sic ut & compes-
cat sodalium impetus, quos in Aurum diruto, quod
aiunt, muro ;mobilitat & cupidos admittit.

Horum autem eventuum si quam habeas(ô Lector)
aliam ab Aqueorum pororum figuris, & ijs, quæ sales,
saliūm-ve spiritus determinant, causam, fac ad no-
stram usque cognitionem propagetur. Pororum sanè
quadrangularis capacitas ita consuetâ salis marini
quadraturâ complebitur, sicut hexagona eorundem
profunditas, hexaedrâ nitreorum occupabitur acu-
minum soliditate. Idem esto & de alijs salium figuris
judicium.

Bilis, quam salem agnoscimus oleaceo quodam di-
lutum humore, si sero misceatur id ipsum salit; tan-
tóque acrioris Vrina falsuginis est, quanto Bilis eidem
überior confusio; & si copia Bilis solutivam Aquæ
superet virtutem, quidquid superfluum fuerit in cry-
stallinas revolutum arenulas, & (instar salis) Igne
subiecto fusiles, æquum est fundo sidere. Aqua qui-
dem calida plus frigidâ salis admixti continet, Igne
nimicum illius poros, ob Aëris illic contenti, & faci-
lis rarefactu consortium, dilatante.

Vnde quandoquidem nec cola Bili sunt, Seróque, nec diverticula promiscua, sed ut ex Bile solum id ad Vrinas effluit, quod intra massam Sanguinis subtilissimum magis est ijs tingendis idoneum; ita non seri crassities in Cystidem se fellis penetrat, sed quo duntaxat & lubricari via possit, & Bilis influere; Non ineptum sanè fuerit in utroque, Bile scilicet, & sero, diversitatem admittere figurarum.

Subtilissimum, dixi; non enim Bilis est unius dumtaxat consistentiæ; imò triplicem arbitror, eamque subtilissimam, quæ simul cum sero diluta secedit per Vrinas: duplice alteram Iecur demonstrat; subtilior una in Cystidem influit, Hepaticum altera crassiori succo subit meatum; ambarum effluxus interiorem forte Intestinorum tunicam mobilitat, Clysteris ambæ naturalis vices obeunt, & mixtim cum retri-mentis excernuntur.

Ita cribralium demeaculorum varietas, & colandorum corporum diversa configuratio fluidis hac transitu interdicit, illac autem concedit effugium. Hinc per Renes in Vesicam Vrina secedit una cum Bile, quæ intra massam Sanguinis subtilissima est; aciditas abit in Lienis nutrimentum; subtilior è Iecore Bilis in Cystidem fluit, crassiore in meatum Hepaticum derivato. Vno verbo dicam, per sola sibi destinata ostia præclusis aliorum omnino posticis excrements posse divertere.

F I N I S.



IOANNI PECQVETO,
IVVENI DOCTISSIMO,
IAC. MENTELIVS,
PARISIENSIS MEDICVS,
S. P. D.



EHEMENTER & ex animo gau-
deo, PECQVETO, quod hisce Tem-
poribus, in quibus Virtuti ac Literis
Bellum indicitur ; & nulli non penè
formosior Auri massa videtur, quàm
quicquid Græci Romani-ve Scri-
ptores , sapientiâ pleni , dixeré : Te tamen utrique
acriùs incumbere animaduertam ; ac Ætatem illam,
quam infami otio demersi , aut vitijs grauioribus im-
pliciti atque addicti plerique conterunt, per lauda-
bilia Experimenta , Studiaque nobilia consumere.
Atque hanc ipsam de bonarum Artium Morūmque
pernicie , querelam apud omnes quidem Populos ex-
titisse legimus: Sed nullibi sanè , nec vnquam , justio-
rem fuisse , quàm hac , in Gallia , Tempestate , ne-
queunt Ciues ipsi negare. Ut ideo magis laudandus
sis, Iuuenis clarissime , tollendus, ornandus , quod re-
nitentibus Æui fatis , effeceris , vt jam etiam cum
Exteris, qui se quibusdam Inuentis Anatomen pro-

mouisse propalant, nostram Symbolam conferamus:
 Quin ut ijsmet ac Veteribus, in ea re quid meritò im-
 putemus. Atque hisce plurima, cāque præclara de-
 bémus, ac ni contradicendi studium & iñuidia (quæ
 non semper vtique preterlabuntur Mentes eruditas)
 obstitissent, finitimos illis Posteros plura debuisse non
 dubitem; & ea præcipuè vel pulcherrima, quæ ad
 nostrum vsque Sæculum latuere:nempe Tubulos illos
 seu riuulos, qui Mesenterio toto sparguntur, alios à
 venis quas id habet, elutriando deducendóq; puriori
 Chylo dicatos, quos Gaspar Asellius, Ticinensis Ana-
 atomicus, Annos ante triginta retexit. Deinde ipsum,
 Arterias inter & Venas vltrò citróque Commeatum
 Sanguinis ac Circuitum, quem Guillelmus Haruejus,
 Londinensis Medicus celebris, primus aduertit, &
 edito pereleganti Libello, confecit. Tertium illis ad-
 demus, multò sine controuersiâ mirabilius, de quo
 nunc tecum mihi sermo est, quodquidem omne in
 naturalis œconomiae cognitione fert punctum, quod
 tu improbo labore solertiāque incredibili, tibi nuper
 notasti, Amicisque humanissimè hinc indigitasti: Chy-
 li scilicet melioris RECEPTACULVM, & quasi Im-
 pluuium, quo corriuantur ac penetrant Elices illi, seu
 Venæ, quas Laeteas solent appellare. Deerat certè
 prioribus istis duobus Inuentis, Asellij pūta, Coronis;
 Harueij verò, Principium, quæ tu, magno rei Medicæ
 commodo, primùm subolfacta αἰχνοία planè mira-
 bili; post sagacitate non minore reperta, tandem
 imponeres, ac nouus adjiceres, Et, vt ad ductuum il-
 lorum Extrema in Confluges desinentia; sic quo-
 que ad Sanguinis massæ ortūs, & frugi Succorum in
 Corpore motūs, Exordium, certò digitum intenderes,

illamque Præcordiorum Anatomes veritatem pro-
traheres è Puteo Democriti , quem proprius imitando
dum fissiculas

— *Pecudumque reclusis*

Pectoribus inhians , spirantia consulis Exta,
eiusdem industriam , etiam ab Hippocrate commen-
datam, longissimè superas , tantóque hac in parte, lu-
culentius, quantò Abderitæ olim scopus & studium,
tuo illo præstanti fuerit ignobilis. At scimus ip-
suum solummodò Recrementis tantum-non noscen-
dis. quippini? igneis & Insaniam committentibus san-
guinis partibus , earumque Sedibus inuestigandis in-
tentum, à Coo repertum fuisse: Te autem alibilium &
vitalium è contrà humorum aperiendis Fontibus fe-
liciter infudasse. Tí ὅπι μαρίνς γεάφω ἀλλό, (inquietabat
ad Hippocratem Democritus, qui super ea, hunc inter-
pellabat) πλεύ εἴπις τὲ εἰη , δικιας αὐθρώποις ἐμγίνεται. οὐ πίστι
τέργητον Δπολοφέοιτο. τὰ τὲ γὰρ ζῶα ταῦτα ὄκοσα ἐφη ὄρης
τουτές μήρυ τοι γε ἀνατέμνω ἔντα, καὶ μισέων Θεῖς ἔργα. χολῆς
δὲ Διζήμενος φύσιν , οὐ θέσιν. διδασκαλία γὰρ αὐθρώπων ὠδόνο-
πῆς ὡς αὐτίη ὅπιτοπολὺ ἀντη πλεονάσσει, ὅπι πάσι μὲν φύσει
ἐπινπάρχει. ἀλλὰ παρὸς οἵς μὲν ἐλαῖτον , παρὸς οἵς δέ τι πλέον.
ἢ δ' ἀμετείν ἀντεῖς , νύσσοι τυγχάνεσσιν , ὡς ὕλης , ὅτε μὲν
ἀγαθῆς , ὅτε ἥ φαύλης ὑπονεμένης. Id est Latinè, Quid de
Insania scribam aliud , quam quid sit , & in hominibus quo-
modo generetur , cureturve : Cuius rei gratia discidi quæ hic
vides Animalia ista , non quod oderim opera Dei ; sed inquirō
Bilis naturam atque situm , scis enim quod Bilis superabundans ,
homines ad insaniam adigit : quæ Bilis à natura omnibus com-
parata est , quamvis plus in alijs , in alijs minus : Nam eius re-
dundantia morbus est , tanquam materia quidem bona , interdum
subjacet mala. Ad quæ Hippocrates: ἀλληλέως γε οὐ φεγγί-

μως λέγεις. Ex quibus quidem sequitur ac innoteſcit
 apprimè Philosophorum antiquorum, Medicorum-
 que Principes atque Coryphæos, Hippocratem &
 Democritum, in penitorem humani Corporis co-
 gnitionem quondam venisse, ſuōque exemplo addu-
 ci nos voluiffe, Animalium Brutorum ſpeciei cu-
 iusuis, Confectionis ope. Hinc Aristotelem parité-
 que Galenum accepimus, hæc ipfa non illorum fo-
 lūm gratiâ, ſed Hominis præcipue, introſpexiſſe:
 ob idque Libros, qui miſerè perierunt, permultos
 ſcripſiſſe. Quid hos, quid illos vbi cumque Gen-
 tium Authores eo nomine inſignes, confeſter?
 ſufficient nobis, & inſtar omnium erunt, illi ē noſtris
 Doctores Sapientiſſimi, Æternitatis Franciæ Muſæi
 regij ambo Lectores; ſuperiori nimirum Ætate Syl-
 uius, noſtrâ autem, noſtrūm omnium Antiquior ille
 Magiſter, Ioannes Riolanus, Deus bone! qui homi-
 nes, quāmque eximij rei Anatomicæ Profefſores! qui,
 ne quid diutius occultum foret in Animantium Cor-
 poribus, quod Seculis profuturum eſſet, hanc quoque
 Spartam ſedulò excoluerunt, & Extispicinam fre-
 quenter instituerūt. Tanta ſiquidem partium Earum,
 potiſſimè viſcerum, Analogia cum noſtris, (non mora-
 bor in cæteris) ut nobis cum illis in Medendi metho-
 do concinere oportuerit: Ne quis ereſtæ ad Cælum
 Fabricæ cum prona, diſcrimen obijciat. Sed quid tan-
 piu in plano hæremus, cum Inuenti à te nouitas aliò
 nos vocet, & in ſui admirationem ſimul appelleſt.
 Multa inſolita, Populoque ignota profano, quotidie depre-
 hendimus in Confectionibus, quæ ſemper Rudes,
 nunquam verò Peritos ſtupore percellunt: Neque
 enim inſtructus & Philosophicis & Medicis Artibus

quis vnquam miratus est in Natura fieri παριθάσθε ;
 η τὰ πιαῦτα ὡς τέρατα κείνηται, euenire: Fit quippe non
 raro ut Principiorum Causarūmque genitalium vario
 concurso, ipsa aberret, ac tanquam Contemplatione
 Mentes exercere satageret , diuagetur ac ludat ad
 Vniuersi pulchritudinem. *Cur itaque stupeant homines*, ait
 Cor. Gemma Capite sexto Libri primi Cosmocritices
 si quemadmodum, à nobis inter Anatomes plurimas annotatum
 est , in alijs quandoque occurrat situs partium planè peruersus,
Hépar in sinistro hypocrōdrio, Lien in dextro collocetur, (quod
 Aristoteles sepe in Quadrupedibus: Herophilus atque
 Galenus in illis , & in Hominibus agnouerunt) in alijs
 nunc Lienes gemini, nunc velut quatuor renes reperiantur ; vic-
 rus in fœminis instar spongiae rare & mollis, aliquando & purè
 ossea ceruix : *Hepar* , ut in suib[us], & canibus diuisum in plu-
 res fibras usque ad radicem : spinarum vertebras yidi continua
 ossis substantia copulatas. Sunt autem in Plantis, & Animali-
 bus cæ. eris, & Metallis sua miracula , futurarum rerum non in-
 fid[a] prænuncia : Ac sepe in illis descripta reperies velut diui-
 nā manu , que non temerè esse , vel sera posteritas deprehendat:
 Nam & loqui videoas saxa cum Brutis , quando homines tacent,
 nonnumquam apertis penetalibus vel mortis vel crucis , vel rei
 alterius insculpta effigie : sepe & dissectas pecudes subsilire
 subiùò, ac sine corde , aut cerebro reperiri. Exempla id genus
 frequentia , passim habentur apud Authores. Vnde
 nec insolens, nec inauditum æstimari par est hoc ip-
 sum , quod paucis abhinc mensibus Lutetiaæ inspexi-
 mus in bene habito cadauere Cruciarij vnius , qui de-
 bitas criminis atrocissimo pœnas morte exsoluit ibi-
 dem, in Platea Crucis à tractu vocata : Vbi imprimis
 animaduertimus ex emeritis ac rude acceptis canali-
 bus illis (quibus ab Umbilico nomen inditum) illum
 qui

qui vena fuisset, dum utero gereretur infans, sinistrorum dirigi, ac in Fissa positi hac in parte Iecoris, hiscere ac insinuari; vt eos qui Arteriae, dextrorum Cor versus, è contrà pertendere. Ventriculi habitus vnà quoque peruersus apparuit, sic ut οἰσφαγὸς, siue superius Orificium illius, dextram occuparet: ut sinistram πλοερός, seu inferius; cuius tamen extremitas (quam ἐκφυσίη quidam, δοδεκάχτυλοι alij vocant) dextram eandem petebat, ipsum supergradiendo πάνηρεα: nec statim ab eo recuruabatur, vt fieri vulgo amat. In ipsam autem, (quod notatu non indignum est) luculentus satis Canalis, ex Hepate prope Portas emanans, Pancreasque peruidens, inferebatur. Sub dextro Hypochondrio Iecinori oppositus Lien attinebatur. Intestinorum vtique glomus pari modo transversus inuentus est: vnde illius, cui Cæci appellatio est, Appendix, Colique Principium, laevam partem tenebant. Subtus hisce repentina maiora Vasa, μηχεκοσμοῦ tanquam Flumina, vena Caua videlicet, atque Aorta, parem sortem experta, inter se inuicem sedes mutauerant: vt hac ratione Spermatica dextrilateris prodiret ab Emulgente partis ejusdem, quemadmodum à Trunco venæ Cauæ, sinistra. Präcordijs, cunctisque Partibus aluinæ Regionis affatim conspectis, in Thoracicas ascendimus, inibique manu & oculis structuram Pulmonis expendimus, quæ à solenni differre quadantenus cernebatur, in eo quod plures in laua, quam in dextra illic Lobi extarent: Cordis utero penitus. nam Basis illius, quæ ad Medium sub osse Pectoris, vt plurimum in alijs dextram versus concedit; in isto sinistram spectabat: Extrema autem, quæ in mucronem turbinantur & abeunt dextram subter.

papillam, in Priora Thoracis demergebantur. Κοιλίαι
seu Specus (quos quidam non ineptè, Diribitoria no-
minat) locorum quisque suorum vices conuerterant;
adeo ut Dexter īsq[ue] Venosus, sinistrum cœpisset, læ-
uus & ille Arteriosus, vt dextrum. Ad læuam è Cauā,
illâ iugi caloris ac vitæ Scaturigine paulo superiùs, pul-
lulabat solitaria & omnis conjugij expers vena. Et, vt
Aortæ tenorem & modum sectantur ad Collum
nerui Recurrentes: ita hīc obseruauimus, pro ratione
collocationis à vulgari diuersa Membri illiūs, medijs
Ventris Principis, dextrum eorum reflecti ad Curua-
turam Aortæ , vt sinistrum ad Axillarem. Tanto, licet
peruersa, cum ordine exsurgit humana Structura : Ut
quæ non alium sui Authorem testetur, quàm Rationa-
lem Animam. Neque hæc sola μετασάσεως Partium Si-
tus apud nos, Historia signata est, & Curiosorum oculis
obuersata hisce diebus, vt ex eruditissimo Riōlano no-
stro colligimus , sub Anatomicorum finem Operum,
recentioris Editionis: Vbi de Observationibus raris. Quo
loci duarum aliarum commeminit ; & insuper Pyrrho-
nium in morem Senior ille ιπέχει tam facetè quàm
doctè : Num quibus Cor salit ad dextram Mammil-
lam ; ijs delitescentium posituræ Partium mutatio in-
teruenerit ? Quod facile crediderim, Senatoris Rho-
donensis, qui Historiarum illarum Pars magna est.
Exemplo per motus. An autem in Morbis ita constitu-
ti intus Hominis , Galeni modus Curandi (in quo
cum Experientia Ratio facit mixturam) mutandus:
Minimè profecto. Nec Allucinationes in Arte inde ti-
mēdæ sunt, ni à male-cautis, & ijs, si Dijs placet, Medici-
cis, qui in Arte tractandâ audaciam cum imperitia, cum
temeritate inficitiam , in damnum ægrotantium at-

que perniciem conjungunt. Parum ergo est , quod in istiusmodi, vel alijs Naturæ aberrationibus & ludis, admirentur & stupeant Eruditi : Sed in eo , PECQVETE, multum est, quod iteratis, vt Ouidius habet, humanis visibus , te nouè monstrante aspeximus in quarundam Animantium adhuc-dum viuentium atque spirantium Fissiculationibus: Chylum videlicet defæcatum ac exemptum sordibus , ope Venarum earum, quas à lactis candore, Lacteas dicimus , (de quibus etiam post Herophilum , capite 19. libri 4. de Vsu Partium, videtur meminisse Galenus) non ad hepar itare per Portas , & id Parenchymatis penetrare , quo Sanguis euadat , vt huc usque putatum: Sed ad Intervuum, Mesenterio suppositum, permeare ; ex eoque perreptans intrà sursum directos (si se se non implicarent in itinere) Ductus, sub Iecore, Diaphragmate, & vniuerso Thorace , Subclaviorum Venæ majoris Ramorum tenus, concendere; ibique in ipsam per ostia se demittere, ac irruens per medium Sanguinem, Formamque immutans unā cum illo cundo, Ventriculum cordis dextrum , Venarum Opificem , subire ; à quo nec morâ, per Venam Arteriosam in Pulmones irrepit ; ac demum ab ipsis per Arteriam Venosam in sinistrum , Arteriarum fontem, dicitur: *καθαρότατον* efficitur , testante Ephesio , Librorum Aristotelis de Partibus Animalium, Interprete, Suinmāque accipit , ac Nutriendi facultate donatur.

Sed quispiam receptæ, & ab omni Æuo traductæ opinionis Assecla , reponet ; Quid fiet nunc Hepate ? Et, An frustra id factum à Natura censendum ? Haud existimamus : Nam partium Corporis suum cuique attributum est munus : Attamen isti

non tantum, quanta est *aiμάτωσις*, quæ solùm à Corde
præstatur: autem γένεσις αρχὴ καὶ πηγὴ τῆς αίματος, οὐ τοῦ
οὐδὲχὴ τεχνή, Id enim est origo prima & fons sanguinis, aut
Conceptraculum primum, inquit Aristoteles. Quem contrà
Galenus, hunc ipsum carpendi in eo, quām verum quæ-
rendi, ut videtur, audior, τῆς αίματόσεως τεχνή τον ὄρ-
γανον οὐ παραπλανήσει, καὶ αρχὴν τῷ φλεβῶν εἶναι contendit: εόρα
fine, ἀναφέρεσθαι τὸν χυλὸν ἐκ τῆς κοιλίας εἰς αὐτὸν διὰ τῷ
φλεβῶν, id est, transferri Chylum ex Ventriculo ad ipsum
per venas. Sic ut cùm huc usque, quod dicitur,

Mulciber in Trojam, pro Trojā staret Apollo.

Tu nouis, ijsque discinctis nostris Annis, Pequete,
Contentionis funem scidisti; ac tanquam illius de Im-
mensitate Naturæ bene meriti Peripateticorum Prin-
cipis Animus in te migrasset, sensu ac ratione probasti;
Vegetationis Officinam, & Sanguinis Promi-condum
Cor esse. nec albos Chylum deportantes Canales He-
pati militare, sed illi; omnesque ad unum rectâ in Con-
fluum, sibi sub Mesenterio à Natura paratum, rue-
re ac desinere. Maestate hac luce, Iuuenis oculatissime,
inauditaque reconditionis Anatomes cognitione.
Maestate inquam, & perge Veritati ita litare, Valeque.
Lutetiaz Parisiorum, Eidib. Februarij. CIC 100 LI.

CLARISSIMO VIRO
 IOANNI PECQVETO,
 PET. DE MERCENNE
 DOCTOR MEDICVS
 PARISIENSIS. S.

PLVRIMVM gratulor fœlicitati tuæ
 (Vir Doctissime) quæ eam in abditis
 Naturæ penetralibus tibi facem præ-
 tulit, ut rem cæteris mortalibus hacte-
 nus, ut ego arbitror, ignotam Primus
 detexeris. Absit verbo invidia, non is sum, quem no-
 vitatis aviditas è veteri statione facile dimoveat. Et
 quamvis mihi jam pridem rerum Naturam contuenti
 visum sit cum Plinio, nihil incredibile existimare de
 cā ; omnis tamen mihi in rebus Physicis suspecta no-
 vitas est, nisi quam certissima sensuum fides & magistra
 rerum Experientia stabilierit. Vbi primū repertas à
 te Venas Chylo turgidas in Thorace, non procul à
 Corde ad Venæ Cavæ Ascendentis ramos pertinen-
 tes his oculis vidi, & manibus exploravi : Vbi tenuif-
 simam & pellucidissimam membranulam oblongo si-
 tu omnibus ferè Lumborum Vertebris innixam insi-
 gni distentam Chyli copiâ deprehendi : verūm hic
 agnovi docente ἀπόφια Chyli RECEPTACVLVM
 & Venarum Chylum ad Thoracem devehentium
 Scaturiginem. Reclament si lubet acutuli quidam,
 quos *Mersennus* noster ὁ μαργείτης chartaceos Philo-
 sophos jocans vocabat, quoniam nunquam ex Natu-
 ræ inspectione sed ex solis libris sapere volunt. Oppo-

nant confusis adornandi Chyli & perficiendi Sanguinis officinis turbari primæ & secundæ regionis fines, Chylum adhuc crudum & immutatum Cordi oggeri; atque ita non tam culinæ nidore quām sordidâ incocti cibi permixtione spiritus vitales inquinari. Fugiant novitatem dogmatis; non silebit in suâ causâ Natura, respondebitque semper se, quod melius est præstare & Animantium saluti convenientius: novum non esse quod in omnibus Animantibus cernitur, & quod cum ipso mundo incœpit. Illa enim æternæ atque immutabili legi addicta, novam hisce temporibus non molita est Animantium structuram, neque insolitas ad χύλων atque αἷματων partes fabricata est, ut vulgatas Hominum opiniones everteret. Quin potius hoc invento nobis quodammodo exprobare videtur Natura præposteram de eâ ex nostris cogitatis arbitrandi consuetudinem; quasi animis insitum foret ipsius operum exemplar, eaque non repræsentaret mentis oculus, sed conderet. Non itaque sapientius poteras, MI PECQVETE, quām ex sp̄rantibus Animantium Extistua haurire Theorematâ. Hic te vivus & fallere nefcius codex docuit, non, ut Asellum, solos Chyli rivulos, sed & Fontem ipsum & deducta ejus ad Thoracem fluenta: docuit te, quod Principij unitas Aristoteli suaferat, COR primum esse αἷματος organum: docuit mirabilem & perpetuum Sanguinis Circuitum, tanti in Physiologiâ momenti, ut ex eo vera cœterarum Animantis functionum causa deponenda sit. Plura non addo, ne desit epistolæ modus, quem meo erga te Doctōsque & solertes Viros amori deesse nunquam finam. Vale. Lutetiæ Parisiorum Primo Kalendas Februarij CIC 102

JOANNI PECQVETO
 INGENIOSISSIMO MEDICO
 AMICO SVO SINGVLARI,
ADRIANVS AVZOTIVS
 S. P. D.



ON POSSVM (Vir Doctissime) quin
 demiter non paucorum vcordiam, qui
 existimant nihil in Physicâ post Aristotelem,
 nihil in Medicinâ post Galenum exquirendum; ita ut suam scien-
 tiam jam non ex Naturâ, sed ex illo-
 rum libris hauriant, in eoque toto vitæ suæ tempore
 laborent, ut quid senserint ij Authores addiscant, pa-
 rum solicieti ipsam Naturam auscultare; quasi verò
 boni illi Viri, quos constat in plerisque errasse, soli
 fuissent ipsius Interpretes, & ita omnes ejus operatio-
 nes exhausissent, ut vix quidquam scitu dignum re-
 staret detegendum; in eoque posteriorum curiositas
 limitanda esset, ut Veterum perpetui remanerent dis-
 cipuli, eosque solummodo imitari conarentur. Quod
 præjudicium, quantum progressus in plerisque Scien-
 tijs & Artibus ut Medicinâ, Physicâ, Architecturâ,
 Sculpturâ &c. retardaverit, vix exprimi potest.

Melioribus sub auspicijs militas (Carissime PECQVE-
 TE) cùmque non ignores nos in Physicâ si quid scimus,

nihil scire præter Experimenta & Observations, eaque quæ ex ipsis juxta principia Metaphysica & Mechanica deducuntur ; liberiorem natus animum, aliam viam instituis, & cum ipsâ Naturâ congrederis, cámque tuis Experimentis quasi denudas, ut ea, quæ latere voluit nisi penitus inquirentes, observes.

Id testatur illud tuum Inventum de Vasis Lacteis, quo nobilius ætas nostra non vidi, quodque aut Orbis novi detectioni, aut præclarissimis artificiis tantò præferendum puto, quantò sanitas nostra Auro, commodo, aut voluptati præstat.

A sellij quidem de Venis Lacteis per Mesenterium disseminatis Monitum pluris faciendum. Sed quis saturo Animali Ventrem aperire poterat absque carum observatione ? Tua verò Vasa ita abscondita sunt, ut omnes hucusque Anatomicos, qui vivas Animantes dissecuerunt, penitus fugerint. Tanta in hoc tuo Reperto requirebatur felicitas, cui accedere debebat summa tum diligentia, tum dexteritas, ut quidquid ad ipsum pertinet indagares, quas in tuis dissectionibus ad id sæpe sèpius institutis, non defuisse (si aliquius authoritatis sint mea verba) testari possum, ita ut vix credam quippiam novi circa hæc Vasa præter ea quæ observata sunt detectum iri. Non quod cùjusquam curiositati limites statuam, cum optem nova observari, si quæ sunt, & præsertim si appareat via, quâ nonnullis motus dubijs opinaris majorem seri partem à Chylo statim in *Receptaculo* tuo separatam ad Renes ferri; an existant quoque meatus, quos admittere coguntur, qui Lac merum Chylum esse putant, quod tamen vix probabile existimo; Tum quòd nulla, licet diligenter indagantibus, se prodat via per quam

quam Chylus possit ad Mammas deferri , ob situm Vasorum Laetorum præsertim in Brutis ; Tum quod sœpe Laeti succedat Sanguis, quando nimium exuguntur Nutrices , quod sine dubio non satis fuerit temporis ad immutandum in Lac Sanguinem , ut etiam in Semine quandoque contingit. Imò etiamnum vivit Mulier , quæ licet iam octies feliciter pepererit , nil nisi merum Sanguinem suffecit , quoties à partu exugeretur ; Naturā Sanguinem quidem ad Mammas deferente , verūm alicuius rei defectu in Lac non transmutante. Omitto ingentes nodos seu Varices , quasi Receptacula quædam , quæ circa Mammas Animalium nonnisi profecto subministrando pro Lacte Sanguini occurrunt.

Si itaque juxta Thomam Bartholinum in appendice de Venis Laetis cap. 3. *Sola trunci ignoratio Doctorum nonnullos in suspenso adhuc tenet , qui si in Hepate demonstrari posset , salva esset res. Quomodo audebunt veri Philosophi post detectum , & tam clarè à Te demonstratum Truncum , universamque ejus semitam (licet ad Hepar non appellat , ut ex veteri errore optabat sincerus Anatomicus) anticipites hærere , & de verâ Chylum deferentium Venarum existentiâ dubitare ? Omnia tamen consensum spondere nolle , memor inveniri etiam non paucos , qui alterum sœculi nostri in Anatomicis celebre Inventum , licet jam vetus & ipsâ luce evidentius , *Circulationem Sanguinis* dico , non solum elevare , sed etiam denegare audeant ; vel quod omnem in Physicâ novitatem (etiam ipsis notam) protervè repudient , cùm oderint rursum fieri discipuli , vel quod vix quidquam de eâ audierint , examinare parum curantes , quæcunque noviter obser-*

vantur, quasi verò nullius possent esse momenti, & inter curiosa tantum reponenda forent, quod tamen in Medicinâ, etiam publicâ authoritate esset coercendum, ubi de salute Hominum res agitur, in quam peccari sine crimine non potest. Maximè quando hujusmodi sunt, quæ deteguntur, ut uniuersum Medicinæ Systema immutare cogant. Quod de *Sanguinis Circulatione* clarum est; cum ex eâ multa adversa ijs quæ ex conficto motu Sanguinis deduxerunt Antiqui, consequantur. Per solas enim Arterias Cor Sanguinem distribuit, quemadmodum truncus per ramos succum seu Sapam; & Venæ ad instar radicum, Sanguinem ad Cor, ut ad truncum referunt; ita ut Venæ, Cor, & Arteriæ plantam quasi constuant. Optarem certè ut quæcunque Circulationem spectant, ex Principijs Mechanicis, à quibus penitus dependent dilucidè explicarentur; mensuraretur scilicet quantum fieri potest, Arteriarum, sociarumque Venarum proportio & earum in singulis partibus amplitudo; conjicereturque tum motûs velocitas major in Arterijs quam in Venis, cui parum confert ex Cordis fervore Sanguinis raritas, cum fere nulla sit, tum Circuitiois per singulas partes tempus, quod pauca minuta nullibi excedere opinor. Inde enim præter innumera circa Venena, Febres, Morbos Contagiosos, & præcipue Hæreditarios, Partium usus, Medicamentorum operationes, &c. Venæ sectionis doctrina pendet, quam tanti momenti facit plerorumque Medicorum praxis, qui eam magno sæpius vitæ nostræ, sed semper longævitatis dispendio, abjectis efficacissimis remedijs, ferè ubique & solam usurpant.

Sed ut de Vasis tuis dicam, nonne jam omnia in Medicinâ immutanda sunt, cum receptæ sententiae de Chyli in Sanguinem mutatione à Iecore factâ, penitus innitantur, quam constat minimè fieri; Cor enim Chylum primum recipit in Sanguinem excoquendum, & Hepar non nisi peculiare officium, sicut & reliqua alia Viscera, ad repurgandum transcolatione excrementis Sanguinem, aut perfectione aliquâ donandum, sibi vendicare potest. Inde enim ex singulorum Viscerum intemperie Febris & Hydrops duæ præcipuæ, & contrariæ Sanguinis corruptiones exoriuntur. Vnde jam vix reperire est paginam in libris tum Medicis tum Anatomicis, in quâ crassi errores saepius non occurrant.

Tanti itaque est tuum inventum (Industrie PECQVETE) quod si nondum singularum partium officium patefacit, (nec enim per illud Lienis, Pancreatis, & in eo canalis Vifsungici, &c. usus innotescit) aliquibus tamen sua munia penitus restituit; Ita ut demirer quomodo persuasum fuerit quibusdam, quibus ignotum erat, sc̄ veram Animalium originem, modumque eorum conformatioonis optimè nosse. Illud majoribus laudibus non extollo cum res ipsa clamet, tibique obstrictum reddat universum Orbem.

Verùm cum infinita restent detegenda, ibi sistendum non est; à Te enim plura speranda suadet ætas tua, cùm vix primos Iuventutis annos adeptus tanto thesauro Medicinam locupletaveris, possisque plures Scientias & Artes novis Repertis cumulare. Perge itaque (Mi PECQVETE) Physicam, & præsertim Medicinam, & Anatomiam tuis observationibus exornare. Id enim exigit tum Professio tua, tum res Publica,

cum præcipuum sit, quod in hac vitâ curare debemus,
 Sanitas nostra, cuius gratiâ optandum esset ut Medici
 ipsi dissecare, à se alienum non putarent; deinde ne
 periti Anatomici huic uni rei incumberent, ut sum-
 mam dexteritatem jam notas partes dissecandi adi-
 piscerentur; sed semper aliquid novi observare inten-
 derent, instituerentque dissectiones, non solum in
 Humanis Cadaveribus (quæ utinam omnia dissecari
 à Medicis contingere! quantum enim inde pro mor-
 bis difficultibus, affulgeret lucis!) sed in omnis generis
 Animantibus, ijsque ut plurimum vivis, ut motus
 partium observaretur (unde earum usus, & plurimum
 morborum, præcipue Respirationis læsæ notitia pen-
 det) quem in Cerebro vivo considerare jam à longo
 tempore propono. Dissecandæ itaque essent Aves,
 Pisces, Insecta, Quadrupedia, Amphibia, &c. ut
 singularum Partium innotesceret officium; cum aut
 quædam in aliquibus deficiant, aut quid Analogum
 reperiatur, aut saltem notanda occurrat aliqua di-
 versitas, quæ sæpe maximam lucem affert, ut fatebi-
 tur quicumque Carpionis Cerebrum inspexerit. Ad-
 dam hic ex occasione verbum de nuperâ meâ obser-
 vatione, Canalis novi quem in duobus fœtibus Ca-
 ninis reperi. Hic ejusdem est penitus coloris, ac sub-
 stantiæ cum Venâ Umbilicali, quæ in utroque duplex
 erat, sed minor; eamque statim ab Umbilico deserit
 & Intestina pervadens ad Centrum Mesenterij,
 quantum licuit observare, desinit. Sed forte de his
 accuratiores fient observationes. Vale Mi P E C-
 Q V E T E, mēque semper ama. Parisijs Kalend. Mart.
 C I C I C I L I.